QUAESTIONES GRAMMATICAE ET CRITICAE
DE
VITIS A SCRIPTORIBUS HISTORIAE AUGUSTAE CONSCRIPTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXIX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXXIII HORA XI
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICE DEFENDET

CAROLUS COTTA
SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
IULIUS SELLGE, DR. PHIL.
FRANCISCUS GOTTSCHALK, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
TYPIS H. ZIMMERI ET SOC.

MARTINO HERTZ

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SACRUM.

Quamquam ante complures annos quattuor viri docti, Plewius[1]) Brocksius[2]) Ruebelius[3]) Dreinhoeferus[4]), alius alio modo controversiam illam, quae est de auctoribus vitarum quae feruntur Spartiani Gallicani Capitolini Lampridii, dirimere studuerunt, tamen etiamnunc de vero germanoque auctore multarum vitarum magna est dissensio. Nam plane ego adstipulor eis qui censuras dissertationum a tribus illis primis vv. dd. editarum scripserunt, I. I. Muellero[5]) et H. Petero[6]), quorum quidem iudicio, ut paucis complectar, quamquam multa probantur et laudantur, tamen negatur rem gravissimam ita diiudicatam esse, ut dubitatio remaneret iam nulla. Idem statuendum est de commentariolo Dreinhoeferi, utpote qui Plewii sententiam recoxerit. Quae cum ita sint, equidem et ipse aliquid pro virili parte ad hanc quaestionem conferre institui. Quoniam autem persuasum habui nisi rebus grammaticis penitus et accuratissime examinatis fundamentum, ut ita dicam, cognitionis nobis deesse, animum intendi cum in universam syntaxin tum maxime in particularum apud hos scriptores usum; quam quaestionem ad cognoscendum totum scribendi genus quo illi usi sunt imprimis necessariam esse constat. Quamquam dicat quispiam iam ab aliis viris doctis huic quaestioni satisfactum esse non tam ab Handio, qui in Tursellino de particulis latinis in universum scribere coepit — quam quaestionem non absolutam esse nemo ignorat —,

[1]) I. Plew: De diversitate auctorum historiae Augustae. Regimonti 1869.

[2]) Aem. Brocks: De quattuor prioribus historiae Augustae scriptoribus. Regim. 1869.

[3]) C. Ruebel: De fontibus quattuor priorum hist. Aug. scriptorum. Bonn 1872.

[4]) A. Dreinhoefer: De fontibus et auctoribus vitarum quae feruntur Spartiani Capitolini Gallicani Lampridii. Hal. Sax. 1875.

[5]) cf. Literar. Centralblatt, 1870 n. 19.

[6]) cf Philolog. Anzeiger, 1874 p. 297—305.

quam a Plewio et a Draegero. Verum ita profecto res se habet, ut Plewius cum in alias res grammaticas tum in hunc ipsum usum particularum obiter tantummodo inquisiverit, qua re is qui latinitatis horum scriptorum discendae causa illius dissertationem legerit, illam quasi per transennam aspiciet. Multa enim atque ea gravissima Plewius omisit, quod id tantum egit, ut diversitatem singulorum scriptorum illustraret. Ne Draegerus quidem, qui summa cum sagacitate de usu particularum disputavit[1]), scriptores h. A. neglexit, sed nihil aliud ex eorum vitis nisi dispersa grana illum exhibuisse consentaneum est. Huc accedit ut ne eorum quidem multa recte allata sint[2]), id quod in tanta librorum mole volvenda facile potuit evenire. Sane facere non potero quin nonnumquam, ut fert rei natura, res iam tractatas retractem, ne manca vocetur quaestio mea; sed eiusmodi res quam paucissimis perstringam. Specimen igitur studiorum meorum publici iuris nunc facturus materiam ita disponam, ut in capite priore quaestiones grammaticas continente primum disseram de adverbiis, deinceps inde de praepositionibus, postremo de coniunctionibus[3]); in capite altero quaestiones de auctoribus ipsis adiungam.

---

[1]) A. Draeger: Historische Syntax der lat. Sprache. Leipzig 1872–76. — Quoniam quattuor huius libri partes in duorum voluminum formam redactae sunt, verba Draegeri, ubicunque opus erit, ita semper ascribam, ut paginae sive prioris sive alterius voluminis denotentur.

[2]) Vetustiore editione videtur mihi Draegerus usus esse; attulit enim (vol II p. 226) ‚vides quod‘ e Car. 4,8, ubi codices accus. c. inf. exhibent. Praeterea legit (II 280) Hadr. 25,1 ‚iussam . . . diceret‘ pro ‚iussam . . . dicere‘ et Alex. 26,3 ‚iussit . . . acciperent‘ pro ‚iussit ut . . . acciperent‘, (II 595) Alb. 1,5 ‚priusquam . . . disseram‘ pro ‚priusquam . . . dissero‘, (II 629) Tyr. 13,2 ‚quantum in bellis‘ pro ‚in bellis quantum‘, quae verba iam Salmasius transposuit. Longum est plura addere; nulla enim auctoritate multas sententias ad hos scriptores pertinentes niti satis apparet. Quod ut explanem, ex vano hausta est illa sententia qua Draegerus (II 740) docere studet particulam ‚quamvis‘ ab his scriptoribus etiam cum indicativo coniunctam esse, nam neque Heliog 6,7 nec Max & Balb. 4,5 nec Gall. 12,6 codices ea verba praebent, quae a Draegero laudantur. At contra ‚quamquam‘ ullo loco cum coniunctivo coniunctum occurrere (II 739) negat nulla ausa. Alia omitto.

[3]) De interiectionibus verba facere non est operae pretium.

Caput I.

De particularum usu.

§ 1. De adverbiis.

Cum quaestio de omnibus adverbiis instituta latius pateret quam par est, de iis solis disputare e re erit quorum usus non indignus videtur esse qui enucleetur, ut aliquid conferatur in illustrandam dissimilitudinem, quae inter genus dicendi horum scriptorum et bonam latinitatem intercedit. Talem autem delectum adverbiorum habebo ut plurima eorum, quae origine ab adiectivis ducta propriam notionem retinuerunt, omittam; pauca vero illa primitiva, quae commemorentur oportet, literarum ordine ita servato, ut vocabula coniungenda non separentur, adverbiis derivatis admiscere mihi liceat.

Ut raros illos locos relinquamus, ubi adhuc significationem temporalem sibi peculiarem habet, plerumque indicat hoc adverbium idem atque ,tum' vel ,etiamtum': Marc. 6,2. 21,6. 29,2. Ver. 2,3 etc. Brevitas quaedam extat Comm. 2,1 ,adhuc in praetexta puerili' = ,etiam tum cum in pr. p. erat'; similiter Pesc. 4,1. Alex. 5,4. 14,3. Aurel. 16,2. Marc. 2,6 (ubi ,iam' expectari potuit). Nihil aliud nisi ,etiam' significat ,adhuc' Marc. 6,3. Pesc. 11,3. Alex. 36,2; atque adeo notionem comparativam augens Bon. 14,4. Cum negatione: Tyr. 21,6 ,nec adhuc' pro ,necdum'; Sev. 8,6: nihil adhuc = nihildum; similiter Maxim. 2,5: vix adhuc = vixdum. Male coniungit Spartianus[1]) Hel. 6,7, etiam adhuc' pro ,etiam tum'. Soloecismum praebet Vopiscus Proc. 13,3: tunc adhuc.

Adprime e scriptis priscorum auctorum sumptum auctor vitarum Pii (7,8) et Marci (4,9) audacius cum verbis coniungit, non, ut illi[2]), cum adiectivis. In libris temporis Ciceroniani non extat Varronianis omissis.

---

[1]) Nomina scriptorum h. A. in hac priore parte non ascribo nisi eis vitis, de quarum auctore nulla extat dubitatio.

[2]) Praeter unum locum: Plaut. Trin. 2,2,92.

Affatim invenitur Max. & Balb. 4,2. Alex. 37,11. Gall. 3,2. Tyr. 18,9. Tac. 11,2.7. Primo illo et hoc extremo loco occurrit dictio ‚affatim scribere' = satis copiose scr. Corruptum esse illud ‚affatim' in vita Gall. 3,2 — ubi haec verba tradita sunt: Odenato se omnes affatim dediderunt — Eyssenhardtius ratus ‚statim' legi vult, quod quamquam sensum optimum efficit tamen repudietur velim, quia in codicibus discrepantia non est. Accedit quod ceteris locis docetur, quanta licentia illud adverbium adhibitum sit, cf. Tac. 11,2 et Tyr. 18,9. Fortasse brachylogia quaedam statuenda est, ut noster locus sic explicetur necesse sit: Odenato se omnes dediderunt, qui quidem satis multi erant.

Notionem propriam alias praebet Hadr. 12,6 et Tyr. 30,18, aliam contra eamque ab optima latinitate prorsus alienam Comm. 13,1, quo loco idem valet atque ‚alioqui', quod apud scriptores h. A. non legitur.

Altrinsecus, quae vox est aevi non modo antiquioris verum etiam posterioris, non Tulliani, nisi apud Capitolinum et Pollionem non invenitur: Gord. 32,6. Gall. 8,2.6.

Ut rerum continuationem designent, hi scriptores non modo illas vulgares particulas ponunt ‚deinde' ‚dein' ‚dehinc' ‚tum', sed etiam ‚post hoc' et ‚post haec' — de his v. p. 14 — atque etiam deinceps eadem notione qua ‚deinde', cf. Alb. 14,2. Gord. 9,7. Max. & Balb. 5,8. Gall. 13,8. Tyr. 4,1, ut alios locos omittam. Semel occurrit deinde postea: Alex. 6,2. Vocabulo denique libentissime utuntur scriptores h. A., multo certe saepius quam postremo. Exempli gratia in vitis Maximinorum ‚denique' octies decies, ‚postremo' ne uno quidem loco, in vitis Gordianorum octies illud, hoc semel (24,3) scriptum invenitur, in vitis Hadriani et Helii decies illud, hoc bis. Mira coniunctio denique statim, quam et ipse Brocksius[1]) commemorat, his locis extat: Hadr. 2,10 — ubi Peterus ‚statim' e contextu eiecit — 13,6. Macr. 5,1. 7,4. Maxim. 5,5. Gord. 14,6. Gall. 10,2. Aurel. 24,6.

Particula fere duobus tantum locis invenitur ibique cum vocabulo quodam negativo coniuncta: Hadr. 13,5 et Sev. 20,3. Quae cum ita sint, Peterus non recte Diad. 3,4, ubi haec tradita sunt ‚haec quae de puero sint dicenda,' scribendum esse coniecit ‚haec fere de puero sunt dicenda', quod eiusmodi usus huius particulae a scriptorum h. A. ratione scribendi plane abhorret, ut non dicam etiam ea re Peteri emendationem haud dubie repudiandam esse, quia duo verba mutari opus sit; codicum enim auctoritate ‚sint' defenditur. Neque

---

[1]) Brocks diss. p. 13.

ferme vocula frequens est; bis usurpatur et utroque loco ad determinandum tempus, cf. Sev. 4,4 et Alex. 61,3. Illa vero adverbia, quae similem vim habent, paene et prope leguntur illud saepe, hoc saepissime. Notandi vero sunt duo loci, Maxim. 22,1 et Gord. 30,7 ubi ‚paene' non cum indic. perf., sed cum indic. plusquamperf. coniunctum est: paene consenserat.

Praeter formam fortasse exhibetur etiam fortassis (Diad. 7,5. Alex. 17,4. Aurel. 10,1 etc.), nusquam forsitan. Congruunt coniunctivo posito Marc. 2,5 et Heliog. 34,1 ‚mirum fortasse videatur'; idem modus usurpatur Diad. 7,5. Tyr. 10,3. Aurel. 10,1. Prob 6,4. Recte praeterea monet Kellerbauerus[1]) Prob. 4,3 secundum codicem Bambergensem ‚Mireris fortassis' legendum esse, sed errat, si putat ‚fortasse' semper cum coniunctivo coniungi. Hoc neque in alios auctores convenit neque in hos scriptores, cf. praeter Aurel. 44,3 etiam Gord. 13,2 et Prob. 1,3. — Adiungamus adverbium forte, ne silentio praetereamus Maxim. 23,6, ubi illud a Capitolino pro ‚fere' ponitur ita, ut a ratione, qua solet ‚forte' usurpari, plane abhorreat; legimus ibi: ‚medio forte die.'

Gratanter, quae vox posterioris tantum aevi[2]) est, occurrit his locis: Maxim. 14,4. Gord. 9,7. Macr. 7,1. Gall. 12,1. Valer. 2,1. Tyr. 3,4.

Legitimum usum vocis hactenus servatum videmus Heliog. 2,4; de rebus enim illam usurpari opus esse iam Plewius[3]) Manutio auctore monuit addiditque vim temporalem Tulliano usui dicendi non convenire. Loco autem adverbii ‚adhuc' fungitur ‚hactenus' Gall. 19,4 et Tac. 7,3; quin etiam Sev. 5,1 et Alex. 64,1 eandem notionem ad tempus praeteritum spectantem videmus illi inculcatam, quam ‚adhuc' aliquotiens habere iam supra docui. Non alienum mihi videtur esse pauca de voce eatenus ascribere, quae et ipsa Gord. 22,5 idem significat atque ‚usque ad id tempus.' Apud Pollionem et Vopiscum suam notionem retinuit, cf. Claud. 14,1 et Aurel. 31,4. Neque aliquatenus deest, cf. Hel. 5,3.

Vulgarem loquendi consuetudinem cernimus Heliog. 19,2 ‚hodie prasinum, vitreum alia die' seq., ubi ‚hodie' ab auctore pro ‚alia die' scriptum est. Hodieque, quod non inusitatum est (in v. Alex. octies), apud omnes scriptores excepto Capitolino reperitur idem significans atque ‚hodie quoque'. ‚Unde hodieque': Spart. Hadr. 3,5. Marc. 12,12. Carac. 9,8. Capitolinus autem evitata forma ‚hodieque' recte

---

[1]) Neue Jahrbücher f. Philol. & Paedag. vol. 115 (1877) p. 645.

[2]) Cf. Amm. Marc. (16,10,21 et 17,12,15), Aurel. Vict. epit. (12,3) Sulp. Sev., alios.

[3]) Plew. diss. p. 32.

aut ‚hodie' tantum (Gord. 20,6) aut ‚hodie quoque' (Alb. 4,2) dicit.

Habeo praeterea quod etiam particulam ‚iam' in transcursu attingam, quoniam Plewius in errorem incidit, quippe qui explanaverit[1]) iam non bis in his vitis legi: Maxim. 2,5 et Max. & Balb. 12,8. Corrigendi causa adiciam: Gord. 23,7. Max. & Balb. 17,4. Marc. 16,4. Claud. 7,5. Aurel. 8,3.

Ut sententiam ab ipso propositam comprobaret, Vopiscus Prob. 1,2 adverbio inde illam respiciens scripsit: inde est quod Alexander Magnus ... inquit. Similiter legimus Macr. 3,6: inde est quod se Severus Antoninum vocavit. Eadem locutione auctor vitae Pescennii 9,2 usus est adhibita tamen detractione: inde (est) quod latet Vindex.

Invicem legitur Hadr. 15,11. 17,3.7. Ver. 2,6; vicissim quod eadem notione est, apud Capitolinum Maxim. 4,5.

Nullo discrimine ita et tam cum adiectivis et adverbiis, ita et sic cum verbis conexa sunt. Sed ne ‚tam' quidem cum verbis ratione poetarum coniunctum desiderabis; dicit enim Vulcacius Avid. 5,10: nihil enim tam expedit quam homo severior Graecanicis militibus. Facile autem perspicitur, unde id ortum sit: illud ‚tam expedit' nihil aliud auctori fuit nisi ‚tam utile est'. Praeterea etiam ‚sic' adverbio ascriptum est a Vopisco Car. 4,1: sic ambigue. Pro ‚itaque' causam indicant verba ‚atque ita' Gord. 16,2 et 28,6.

Item, quod passim occurrit, eo plerumque spectat, ut similes res vel facta eiusdem generis deinceps enumerentur. Sed haud raro illud adverbium loco pronominis ‚idem' positum est: Hadr. 26,10: ‚somniavit praeterea se a patre potionem soporiferam impetrasse. item somniavit a leone se oppressum esse.' Cf. Comm. 12,11. Pesc. 8,4 et 6 etc. Vice eius particulae bis vox poetica itidem fungitur: Hadr. 13,8: sella quae itidem capta fuerat. Pesc. 8,4: item ... respondisse itidem Graeco versu dicitur.

Nimium non modo vim usui Ciceroniano convenientem retinuit apud Pollionem Tyr. 24,5 et Vopiscum Num. 14,2, sed etiam nihil aliud nisi gradationem efficit, cf. Marc. 27,11: nimium aegre ferre = aegerrime ferre; Ver. 10,3: nimium indulserat = valde ind. Quin etiam Spartianus ‚nimium' pessime coniungit cum superlationis gradu Hadr. 14,8 ‚nimium studiosissimus', quo loco et ipso nihil nisi summam gradationem auctor studet exprimere. Non aliter nimis usurpatur, ut etiam de hoc adverbio verba faciam, si quidem res postulat. Vopiscus Aurel. 9,3 bonam latinitatem sequitur, quae etiam Alex. 64,3. Maxim. 7,6. 30,7. Gord. 3,2 servata est. Sed adverbio

[1]) Plew l. l. p. 33.

‚nimis‘ vis augendi gradus tribuitur Hel. 1,3 et Macr. 1,5 (nimis pauca = paucissima), Pi. 7,11 etc., nec non apud Capitolinum Gord. 18,2 et apud Pollionem Gall. 13,4 et Tyr. 10,17. ‚Nimis sero‘ scriptum est Comm. 17,1; similiter Gall. 13,4: sera nimis vindicta. — Accedunt duo loci, ubi n i m i e legitur. Gord. 6,2: moribus ita moderatus, ut nihil possis dicere, quod ille... nimie fecerit (= immodice vel immoderate). Est autem quod miremur a Spartiano Hadr. 21,9 ‚nimie multum‘ pro ‚nimium‘ scriptum esse cum sensu superlationis (= permultum).

Ut alii rerum scriptores n u n c in oratione obliqua ponere non dubitant, ita in vita Marci 20,3 scriptum invenis: ostendit nunc demum se quasi a principio acturum esse rem publicam. Audacius in simplici narratione ‚nunc‘ pro ‚tunc‘ Hel. 4,5: nunc tamen... Hadrianus dixisse fertur.

Apud auctores aevi posterioris o l i m haud raro idem valet atque ‚iam diu‘, quae notio ne a nostris quidem scriptoribus est neglecta. Sic Prob. 11,6, ubi verba tali modo interpungenda esse censeo: ‚olim dignus et fortis et iustus. bonus ductor, bonus imperator. exemplum seq.‘ Praeterea cf. Jul. 5,6. Maxim. 26,3. Tyr. 12,10. Atque adeo ‚olim iam‘ (Tyr. 14,1) nihil aliud significat.

Vopiscus o s t i a t i m cum translatione adhibet Carin. 17,7: quicunque ostiatim cupit noscere = qu. res singulas c. n. Nusquam praeterea haec notio illius adverbii extat, ne apud alios quidem scriptores, quantum equidem memini.

P a r u m pro ‚non multum‘ dicunt Spart. Hel. 3,1 et Pollio Tyr. 32,2 et Claud. 13,4. Dictio ‚parum esse‘ (= non satis esse) nobis occurrit Gord. 13,8. 14,3. Marc. 18,5.

P e n i t u s apud scriptores h. A. ad vim adiectivorum et verborum augendam spectat. Pollio et Vopiscus hac verborum coniunctione libenter utuntur ‚toto penitus orbe,‘ cf. Gall. 3,1. Claud. 6,3. Aurel. 37,7. 41,7; similiter Valer. 6,7: omni penitus orbe. Praeterea cf. Valer. 1,1: penitus vinci = devinci. Tyr. 3,10: penitus adprobare = prorsus adprobare. Pert. 6,8: penitus tulit = omnino sustulit. — De usu huius adverbii o m n i n o disserere vix operae pretium est, quoniam ab optima sermonis consuetudine parum distat. — Plura autem de illo p r o r s u s addenda sunt, quod non modo solita ratione usurpatur, sed etiam saepenumero invenitur inversione quadam facta. Solet enim ‚ut consecutivum‘ post, non ante ‚prorsus‘ collocari: Ver. 8,11, ‚prorsus ut videretur‘ pro ‚ut prorsus videretur‘; eandem collocationem videmus Alb. 13,2, ubi Peteri modus interpungendi (‚armorum sciens prorsus, ut‘ pro ‚armorum sciens, prorsus ut‘) haud dubie improbandus est, id quod ex ipsa collocatione verborum apparet. ‚Prorsus ut‘ his quoque locis extat: Carac. 2,1. Alex. 50,3. Maxim. 19,3. Gord. 31,4. Claud. 9,9.

Certe depravata sunt haec verba in vita Maximinorum 6,3: calciamenta quin etiam ipse prospiciebat, prorsus ut autem patrem militibus praeberet. Particulam ‚autem' aut insiticiam aut corruptam esse quis est quin intellegat? Nec Peteri scriptura ‚prorsus autem ut' mihi arridet, quod ea accepta illud ‚prorsus' ad verbum prospiciendi referendum est, qua re ineptus sensus efficitur. Duplex via emendandi mihi videtur patere: aut particula ‚autem' omnino tollenda aut, id quod praeferendum esse censeo, ex ‚amantem' corrupta est, ut sic legatur: ‚prorsus ut amantem patrem militibus praeberet.' Tale enim vel simile participium aptissime ad explendam lacunam inseritur. Ad vocem ‚amantem' cf. Maxim. 5,6 et 8,2. Nimia denique licentia statuenda est Maxim. 9,6. ubi verba ‚prorsus ut' enuntiato Capitolinus praemisit coniunctivo neglecto, quem tamen cum in editionibus superioribus tum in editione Eyssenhardtii restitutum esse gaudeo. — Illud funditus, quod ab aliis auctoribus nonnumquam ponitur, ubi prorsus vel omnino desideratur, nusquam legimus nisi Hadr. 12,6, ubi tamen, quod perraro fit, idem designat quod ‚in imo fundo.'

In numero eorum adverbiorum, quae nostra lingua per ‚voellig' ‚ganz und gar' reddimus, ne plane quidem apud hos scriptores habendum est, quippe quod eadem vi atque ‚profecto' vel ‚re vera' usurpetur idque his locis: Avid. 2,8, Tyr. 13,2. 15,7. 33,1. Car. 9,3.

Non ineptum esse mihi videtur id monere paulatim duobus tantum locis vitae Macr. 7,7. et 9,4, sensim semel — Diad. 4,6 — legi.

Memoratu dignum est plene, non quo multum abhorreat a solita loquendi ratione — Hel. 2,9. Pesc. 1,1. Ver. 9,9 (plenissime disputare = copiosissime d.) —, sed ut sciatur hic locus apud Vopiscum: Aurel. 25,3 ‚plenissime parta victoria.'

Adverbio privatim semel eadem vis attributa est qua ‚praecique' et ‚speciatim' apud hos scriptores indui solent, cf. Alex. 54,5: tunc privatim intellectum est seq.

Pro ‚celeriter', quod nisi Hadr. 13,5 non reperitur — contra ‚cito' saepius —, vel potius pro ‚celerrime' Capitolinus propere ponit idque Gord. 8,5. Idem ex Peteri coniectura etiam Maxim. 14,4 et 24,3 scribendum est nec mihi displicet; etiam Eyssenhardtius illam coniecturam Maxim. 24,3 in textum recepit. Hadr. 6,2 dicit Spartianus ‚praepropere,' ad cuius notionem proxime accedit raptim, quo Vopiscus Tac. 2,5 utitur. Sed illud festino, quod Alb. 6,6 habemus in libris manu scriptis, ἅπαξ εἰρημένον est; fortasse in ‚festinato' mutandum.

Ex usu adverbii publicitus pro ‚publice' — Gord. 9,3. Tyr. 18,10. Tac. 10,3 — prisca latinitas redolet.

Omnia fere adverbia relativa, quibus cumque affixum est, ab his scriptoribus pro indefinitis usurpari solent, ut additamenti cuiusdam adverbialis locum obtineant[1]): quandocumque, quod nihil aliud est nisi ‚quandoque' (Gord. 19,5) notione latius patente: Marc. 16,7. Alb. 3,1. Gord. 30,8. Claud. 14,1. Flor. 15,2. Quemammodumcumque (ἅπαξ εἰρ.): Alex. 49,6 Similiter utcumque ‚so gut es ging': Get. 2,9. Gall. 9,2. Tyr. 12,12. Car. 3,2. Ubicumque: Pi 12,2 et Maxim. 16,6. Undecumque: Gord. 19,1. Tyr. 22,4. Bon. 14,4 (u. gentium).

Duobus locis retro idem valens atque ‚antea' positum est: Pert. 9,2: stipendia plurimis retro debita (= nondum soluta) exsolvit. Adiectivi locum tenet in v. Alex. 35,1: laudes meliorum retro (= superiorum) principum.

Lampridius unus uno loco rursus praebet, sed hoc ipso loco — Heliog. 24,5: parasitos ... rursus in summum revolvebat — tali adverbio haud ita opus est, quoniam in verbo revolvendi notio illius iam inest. Perlustratis autem locis, quibus iterum legitur, intellegemus scriptores nostros huic voci nimium indulsisse; certe eam interdum perverse adhibitam esse duobus locis apparet. Spartianus in v. Severi 14,7 haec: ‚postea iterum cum Plautiano in gratiam redit.' Sed ex paragrapho quinta eiusdem capitis elucet illud ‚iterum' pro ‚rursus' positum esse, quandoquidem Plautianus in odium imperatoris prioribus temporibus non venerat. Nec non apud Capitolinum Max. & Balb. 5,3 ‚iterum' vices vocis ‚rursus' subiit: iterum sustulisse = rursus sustulisse.

Sub finem vitae Pii (13,4) rite occurrit, ubi de Pio haec dicuntur: qui rite comparetur Numae. ‚Rite' hoc loco idem atque ‚iure' significare manifestum est. Inde factum est, ut in editione principe Mediolanensi illud adverbium in ‚recte' commutaretur.

Incommode accidit, ut loci, quibus saltem continetur, omnes fere parum accurate traderentur, quare non diiudicandum est, utrum saltem an saltim praevaluerit. Teste Petero Pollio praeferebat ‚saltim', cf. Tyr. 31,6 et Gall. 21,2 (Eyss: cod. Pal. ‚saltem'), Capitolinus et Vopiscus ‚saltem', cf. Gord. 30,4. Aurel. 24,9. 29,1. Tac. 1,4. 8,5.[2])

Particulis scilicet et videlicet hi scriptores exemplo ceterorum illius aevi aut accuratius definiunt aut argumentis

---

[1]) Simili modo pron. rel. ‚quicumque', quod apud Ciceronem excepto ablativo ‚quacumque ratione' semper cum verbis coniungitur, absolute scribitur, cf. Hel. 7,2 et Macr. 1,2: quodcumque. Tac. 6,5: quaecumque voluptas. Saturn. 8,6: cuiuscumque artis. Quam late haec loquendi consuetudo inde ab aetate Livii manaverit, ostendit Fabri ad Liv. 22,58,5.

[2]) Hoc extremo loco, ubi ‚ad salutem' optimi codices exhibent, ‚at saltem' vera est emendatio.

confirmant ea quae modo in universum proposuerunt[1]. Satis est hos locos afferre: scilicet: Hadr. 6,2. Pi. 1,1. Macr. 14,1. Max. & Balb. 17,8. Claud. 8,1. Videlicet: Macr. 6,6. Max. & Balb. 4,2. Tyr. 31,10. Claud. 1.1. Prob. 14,1. Sed illud adverbium numquam per ironiam dictum est, hoc semel: Claud. 5.5: magna videlicet virtus ab auro nomen accipere. Eiusdem notionis adverbia ‚nimirum' et ‚nempe' frustra conquires.

Ad aetatem post Augustum pertinent adiectivum ‚specialis' (Marc. 17,2. Tyr. 14,3. 31,6) et adverbium specialiter, quod ut Celsus, Columella, Seneca, Quintilianus frequentant, ita ne scriptores quidem h. A. respuunt: Marc. 19,12. Pert. 3,6. Tyr. 8,11. Claud. 14,15. Sat. 8.10. Car. 4,7. Aliquanto posterioris aetatis est speciatim, quae vox eadem significatione est et in Ciceronis orationem post réd. in sen. 8,21 (pro ‚separatim') olim irrepserat. Occurrit illud: Hadr. 13,9. 24,6. Avid. 6,6. Alb. 12,1. Heliog. 17,7. Alex. 35,5. Tac. 2,3.

Unanimiter eodem sensu quo ‚uno animo' vel ‚omnium consensu' indutum praeter Tac. 4,8 — me u. delegistis — nusquam nisi apud scriptores ecclesiasticos reperitur.

Adverbium unice, quod cum apud alios rerum scriptores tum apud hos cum verbis tantum, imprimis cum verbis amandi et diligendi solet coniungi[2], ritu poetarum semel adiectivo ascriptum est, cf. Alex. 26,9: in matrem Mammaeam unice pius fuit = in m. M. singulari pietate fuit.

Pro ‚urbane', quod Alex. 29,6. Gord. 1,5. Gall. 14,4. habes, Vopiscus Aurel. 28,2 adverbio subtiliter utitur: modo ferociter modo subtiliter transtulit = vel per terrorem vel per urbanitatem transtulit.

Nunc vero in adverbium usque, quatenus adverbiis ascribitur, inquiramus. Perperam huc usque, quod verbum ab aetate Ciceronis alienum postea locum modo determinat, apud Capitolinum Max. & Balb. 16,1 tempus indicat pro ‚usque adhuc'[3]. Trifariam eo usque usurpatur, prout tempus, locum, modum significat. Temporalis notio semel occurrit: Hadr. 23,7; item semel locum designat: Alex. 45,2. Ceteris vero locis ‚eo usque' prorsus idem valet atque ‚adeo':

---

[1]) Longe igitur aberravit a veritate Baehrensius, qui in annalibus quos vocamus „Jahn's Neue Jahrbücher f. Philol. & Paedag.", a. 1871, p. 664 coniecit Carin. 21,3 scribendum esse: sis contentus nosque ‚scilicet' (pro ‚sic') voluisse scribere melius quam potuisse contendas.

[2]) Hac re manifestum est Draegeri coniecturam — cf. Philol. XX. (1863) p. 525 — ‚unice' pro ‚unicum' in v. Aurel. 3,4 refellendam esse, quippe quae cum usu scriptorum h. A. non conveniat.

[3]) Quod habes apud Cic. de rep. II 20.

Pi. 9,10. Maxim. 17,5. Car. 2,6, alibi. Adiectivis est appositum Gord. 26,1: fuit terrae motus eo usque gravis; Aurel. 50,4: usque eo multum comedit. Cum breviloquentia quadam bis scriptum est, cf. Alex. 21,4 ubi verba ,eo usque ut' sic subaudienda sunt: quin etiam res eo pervenit ut. Cf. praeterea Tyr. 14,4. Parem loquendi brevitatem usque adeo interdum praebet, ut exempli causa afferam Pi. 8,10: usque adeo sub eo nullus percussus est senator ut seq. Quae verba haec sibi volunt: sub eo nullus percussus est senator, quae res tam late patebat ut seq. Similem brevitatem habes Marc. 15,5 et Max. & Balb. 16,7. Ut ,eo usque', ita ,usque adeo' adiectivis appositum invenitur, ubi vice simplicis particulae ,adeo' atque adeo vocis ,tam' fungitur: Heliog. 1,5. Gord. 18,2. Tyr. 9,3. Claud. 13,5. Ubique modum designat, sed nonnumquam ,usque adeo ut' paene idem valet atque ,ita ut', cf. Tyr. 3,1. Ceterum praeter unum locum vitae Getae 4,2 — consentiretque adeo usque Bassianus — semper ,usque adeo' reperitur; at contra ,eo usque' usitatius est quam ,usque eo' (Hadr. 4,8. 23,7. Aurel. 36,3. 50,4).

Ut ,subtiliter' in aliam notionem abiit, ita viriliter, cuius vis proxime accedit ad eam quam ,fortiter' habet; adaequat vero apud scriptores h. A. hanc: ,ad modum virorum.' Sic Gall. 13,5: Zenobia viriliter imperante; atque Tyr. 27,1: contionibus quas illa viriliter frequentavit. Etiam magis patet sermo vulgaris Aurel. 6,1 ubi ,viriliter speciosus' nostrae dictioni ,maennlich schoen' respondet.

Magnam sibi sumpserunt licentiam hi scriptores particulam vix frequentantes; quae negationi prorsus par ducenda est Max. & Balb. 13,5: cum primo (milites) vix invenire possent, scl. occasionem occidendorum principum. Nonne id subaudiendum est milites illam primo ,non' invenisse? Similiter rem sese habere existimo in eadem vita 14,3. Praeterea illa lex, ne ,vix' cum pronomine ,aliquis' consocietur, neglecta invenitur Claud. 7,6, Aurel. 9,3, Sev. 19,7, ubi cum Petero Salmasii coniecturam ,ut vix et (BP: vixit) tunica eius aliquid purpurae haberet' recipio. Attamen ,vix' et ,aegre' non diligenter discernuntur; successit enim nonnumquam ,vix', quod vim negativam continet, in locum adverbii ,aegre', quod illa caret, cf. Tyr. 30,3: (Zenobia) vix denique ab Aureliano victa. Coniunctas vides illas particulas Maxim. 30,6: vix aegreque ... deturbatus est. Bis breviloquentia certe audax statuenda est: Alex. 33,3 et Hadr. 10,5. Priore loco memoriae proditur Alexandrum scenicis numquam aurum, numquam argentum donasse; pergit auctor: ,vix pecuniam donavit', quae verba haec sibi volunt: vix eo adduci potuit, ut pecuniam donaret. Similis locus est Hadr. 10,5: ,cum capulo vix eburneo spatham clauderet' =

cum vix eo adduci posset, ut capulo eburneo spatham clauderet. — De ,vix adhuc' iam supra disputavimus.

Nonnullae denique res sunt, quas ut antea commemorarem fieri non potuit. Ac primum quidem nonnunquam accidit ut adverbia locum adiectivorum teneant, imprimis quondam, semper, dudum, cf. Hadr. 4,2 et 9,3. ,quondam tutor', 23,10 ,insidiator quondam', 4,3 ,inimicis semper suis', Alex. 31,2 ,ex assessore semper suo', Macr. 5,3 ,collegae dudum suo'. In magno igitur errore Plewius versatur, qui uno tantum loco adverbium pro adiectivo positum esse affirmavit[1], Alex. 35,1, de quo loco cf. p. 11 s. v. ,retro'.

Deinde de usu gradus comparativi pauca habeo quae addam. Quoniam de adiectivis disserere huius loci non est, mihi ostendere non licet scriptores libenter uti illorum gradu comparativo, ubi positivum ponere satis sit, ut notionem mediocriter augeant. [cf. Maxim. 6,6 ,superbior' ,ferocior', 6,9 ,tenerior' etc.] Sed etiam gradus comparativus adverbiorum ita usurpatus est, praecipue a Spartiano, cf. Hadr. 1,5 et 2,7: inpensius. 3,1: agrestius. 3,2: familiarius. 3,9: latius. 10,2: asperius. 12,5: furiosius. Cetera omittam excepto uno ,superius', quod frequenter occurrit pro simplici ,supra', cf. Hel. 3,1. Marc. 23,7. Claud. 6,1: ut superius diximus. Similia habes Heliog. 12,3. Alex. 29,4. Maxim. 27,1. Gord. 18,6. Gall. 5,6. Tyr. 13,3. 31,2. Aurel. 15,3.

Peculiarem denique horum auctorum consuetudinem silentio non praetermittendam atque hoc ipso loco commemorandam esse censeo, priusquam ad praepositionum usum transeam. Pro illis enim adverbiis ,interea', ,postea', ,propterea' de industria saepius ponunt inter haec, post hoc (cum relativa adiunctione ,post quod': Gord. 23,7) vel post haec, ob hoc; concinunt hoc usu h. A. scriptores. Qui quam vehementer huic indulgeant, ex his potest cognosci: ,inter haec' invenitur sexies decies (,interea' bis, Jul. 3,7 et Gall. 13,9, ,interim' duodecies), ,post hoc' vicies sexies, ,post haec' vicies octies. De dictione ,ob hoc' suo dicemus loco, cum de particulis conclusivis disputandum erit.

§ 2. De praepositionibus.

Quamquam hanc quaestionem angustis finibus coërcere constitueram, tamen cum materiam huc pertinentem congessissem in illo consilio mihi non perseverandum esse intellexi, si quidem illa quae Plewius in dissertatione sua pp. 41 et 42 adnotavit, exiliora sunt, quam quae ad perspiciendum usum praepositionum sufficere possint.

[1]) Plew. l. l. p. 33.

A. Praepositiones quae **accusativum** requirunt.

Praepositione ad scriptores h. A. haud raro utuntur pro ‚in', etiamsi iter in mediam terram fieri narrant: Hadr. 13,1. Pi. 7,11. Marc. 27,2. Pert. 3,5. Sev. 3,4. 8,7. Pesc. 5,4. Alb. 6,3. Macr. 4,5. Gord. 5,3. Gall. 11,1. Aurel. 35,4. Prob. 18,1. Saturn. 9,2. Car. 7,2. Atque etiam his locis similia inveniuntur: Hadr. 2,1, ubi ‚ad patriam' pro ‚in patriam' scriptum esse constat. Hadr. 18,2: ad aliam urbem. Pi. 10,4: ad Tiberianam domum. Paulo differunt Hadr. 13,6 ‚ad orientem profectus', Sev. 22,7 ‚ad Palatium se recipere', alii loci, quibus indicatur, in quam regionem iter fiat. — Persaepe ‚ad' adhibetur, ut ostendatur, quo consilio aliquid agatur; qui usus tam late patet, ut interdum a bona latinitate aberret. Crebro enim exoritur nimia brevitas, quod ut doceam, haec exempla afferre satis esto. Marc. 2,2: ‚usus est magistris ad prima elementa', i. e. ut prima elementa disceret. Gord. 2,4: ‚ad proconsulatum missus est', i. e. ut proc. susciperet missus est. 29,5: ad imperium posci. Aurel. 27,1: Zenobia superbius insolentiusque rescripsit... credo ad terrorem. Huc etiam Gall. 2,2 quodam modo referendum est: Macrianus Pisonem... ad Achaiam destinavit. Similis brevitas, ubi tamen sententia consecutiva subaudienda est, placuit Vopisco Tac. 11,8: legit sane senex minutulas litteras ad stuporem. Mentione indigna ne haec quidem verba sunt Hadr. 3,5: in quo magistratu ad perpetuam tribuniciam potestatem omen sibi factum adserit. Ubi certe ‚ad' similiter atque illis locis, quos modo denotavimus, usurpatum est; sed auctor melioris notae substantivo ‚omen' aliam verborum consecutionem, haud dubie genitivum, subiunxisset. — Maximo studio utuntur hi scriptores praepositione ‚ad' cum gerundivo coniuncta, quae scribendi ratio praecipue in vita Hadriani cernitur, cf. 3,8. 5,8.9. 7,3 (bis). 6. 10. 11. 17,4. 7. 12. — Memorabilis usus praepositionis ‚ad' iam in annalibus, qui inscribuntur ‚Philolog. Anzeiger', a. 1874, p. 301 commemoratus est. Illa enim pro ablativo instrumenti posita est Hadr. 26,1 ‚flexo ad pectinem capillo' et Heliog. 31,7 ‚ad novaclum', sed dissensio mihi est cum illo viro doctissimo, qui censuram dissertationis Plewii scripsit, de tertio loco Gall. 9,3 quem pari modo explicandum esse censuit. Verum in mentem mihi venit multorum locorum, ubi per praepositionem ‚ad' nihil aliud nisi hoc indicatur duas tresve vel etiam plures res eodem tempore evenisse, velut Liv. 9,22 ‚ad ducis casum perculsa', Tac. ann. 1,44 ‚supplices ad haec' („auf dieses hin"), 12,37 ‚ad ea Caesar veniam tribuit'. Similiter verba Pollionis Gall. 9,3 ‚nec tamen Gallienus ad talia movebatur' interpretari possumus: dum talia accidunt — scl. dum alius alii

favet, dum queruntur — Gallienus non movebatur. — Restat ut duas verborum structuras afferam, quarum utraque e vulgari loquendi cousuetudine manavit: ,ad diem' adverbio ,cottidie' aequiparatur Macr. 1,2. Gall. 17,4. Prob. 8,3. Firm. 4,2.[1]) ,Ad summum' pro simplici ,summum' Alex. 64,1: plerisque per biennium, ad summum per triennium imperantibus.

Adversus vel adversum quam maxime vitatur; extat Marc. 6,8 et 8,8 et Firm. 2,2.

Usu praepositionis ante scriptores h. A. cum bonis auctoribus concinunt. Id tantum moneo bis ,ante omnes' inveniri, ubi ,ante omnia', quod Alex. 66,3 occurrit, desideras: Hadr. 11,1 ,ante omnes tamen enitebatur' et Maxim. 10,3 ,volens ante omnes Alexandri gloriam vincere.'

Quod ad praepositionem apud attinet, rationem illam scribendi, quam maxime in operibus Taciteis tritam cernimus, etiam in his vitis omnibus passim reperimus. Urbium enim nominibus ,apud' saepissime appositum est, ubi locativum requiris. Cf. Hadr. 1,1. 12,2.5. 19,1. 20,2. 25,6. 27,3. Marc. 8,11.12. Maxim. 24,5. 25,2 etc. etc. Respondent verba in v. Maxim. 33,2 (cf. etiam Max. & Balb. 11,1) ,apud Ravennam' verbis Herodiani 8,17 (διατρίβων) ἐν Ῥαβέννῃ. Terrarum quoque nominibus ,apud' adiunctum est pro in c. abl.'; exempli gratia ,apud Aegyptum' scriptum invenimus Pesc. 7,7. Gall. 4,1. Aurel. 47,3. Prob. 3,2. 9,3.

Circa non solum totam regionem loco cuidam vicinam aut partem huius regionis, sed etiam certum locum proxime urbem quandam situm significat; cf. Pollio Tyr. 33,4: extat eius sepulchrum circa Bononiam; Valer. 8,3: Valerianum circa Mediolanium sepultum; Gall. 14,9: Gallienus percussus circa Mediolanium. — Praeterea ,circa' aeque atque apud alios argenteae latinitatis scriptores translatam vim continet; docetur enim per hanc praepositionem nonnunquam, quo quis animo in alios affectus sit. Abiit igitur illa in notionem aut praepositionis ,erga': Marc. 24,3 (aequitatem circa captos hostes). Ver. 8,6. Avid. 10,1. Alb. 7,2. Gord. 30,8. Gall. 10,4, aut praepositionis ,in': Carac. 5,3 (circa eos crudelissimus fuit). Comm. 16,8. Alb. 11,6. Tyr. 16,3. Omnino animi cogitatio ad aliquam rem relata indicatur neque aut ,erga' aut ,in' substitui licet Pert. 13,8: circa uxoris pudicitiam minus curiosus fuit.[2]) Huc spectat etiam Maxim. 4,6 ,quod avus eius Severus iudicii circa se habuerat', ubi ,de' desideratur. Non alienum videtur esse ad similem usum in Apulei Met. X 728 animum adver-

---

[1]) Cf. Hand Turs. I p. 129: ad diem i. e. per diem.

[2]) At contra Hadr. 11,4 et Marc. 20,5 adiectivum ,curiosus' cum genitivo coniunctum est.

tere: circa salutem sollicitus.[1]) — Circum propriam significationem servavit; bis occurrit: Maxim. 28,4 et Gall. 9,3.

Contra solet indicio esse condicionis adversae vel hostilis, quae nimis saepe in his vitis admissa est, nam interdum Ciceroniano usui non respondet. Legimus enim, ut exempla afferam, Pi. 6,2 ‚contra procuratores suos conquerentes', Marc. 24,1 ‚contra manifestos reos inexorabilis', Gord. 13,3 ‚contra se — videtur mihi quidem *ἅπαξ εἰρημένον* esse pro ‚a se' — Africam descivisse, Max. & Balb. 1,1 ‚remedium contra furorem requirens', quae coniunctio insolens nusquam praeter hunc locum extat. E verbis pugnandi et ‚cum' et ‚contra' nullo discrimine pendet, cf. Max. & Balb. 16,7, ubi utrumque reperitur.

Plerumque erga voluntatem propensam indicat et his quidem locis: Marc. 12,7. Carac. 2,7. Gall. 14,1. Tyr. 3,6. 32,2. Prob. 8,1. Car. 6,1[2]) Sed etiam voluntas alienata — ratio scribendi ab eleganti discrepans — designatur Pesc. 7,7 ‚hic erga milites tanta fuit censura (= severitate)' et Aurel. 8,4 ‚ne quid erga filium meum severius.' Denique cum illo loco v. Maxim. 4,6, quem supra s. v. ‚circa' attuli, conferenda sunt haec verba Spartiani Hadr. 2,8: sollicitus de imperatoris erga se iudicio.

In usu praepositionum extra et intra nihil insolens; id tantum commemoro ‚intra' semel illa singulari vi usurpatum esse, qua iam Livius usus est, quae a bonis auctoribus per ‚minus quam' vel ‚nondum' redditur, cf. Tac. 10,7: servos urbanos omnes manu misit utriusque sexus, intra centum tamen.

Ex usu vulgi repetitum est inter cetera, quam dictionem pro ‚cum ... tum' imprimis in vitis a Pollione et Vopisco conscriptis usurpatam raro apud ceteros invenimus; cum genitivo coniuncta occurrit illa Marc. 12,12: inter cetera pietatis eius. Brevitas quaedam et ea illi usui similis sub oculos cadit Comm. 15,8: appellatus est sane inter cetera triumphalia nomina etiam ... Palus. Pi. 3,1: inter alias adclamationes dictum est. Neque Maxim. 8,5 silentio praetermittere possum, ubi Capitolinus scripsit: inter has virtutes tam crudelis fuit, ut seq. Quibus verbis explanare studuit Maximino non modo virtutes illas insitas fuisse sed etiam crudelitatem.

Nisi apud Liv. 39,9 iuxta in eleganti sermone latino praepositionis ‚secundum' instar nusquam habetur. Quod tamen proprium est cum complurium recentiorum auctorum tum nostrorum. Tres sunt notandi loci: Heliog. 27,7 ‚iuxta pro-

---

[1]) H. Kretschmann ‚De latinitate L. Apulei Madaurensis' p. 116.

[2]) Enumero omnes locos, ne quis existimet Plewium p. 41 omnes attulisse.

visionem Severi et Traiani', Aurel. 232, iuxta illud dictum', Bon. 15,7 ,iuxta brevem infra scriptum'.

Ob partes nonnumquam suscipit praepositionis propinquae propter[1]), cum significet causam non subiectivam — ut hac voce utar — sed illam quae reapse subest, qua quis permotus aliquid agit, cf. Hadr. 12,1 et Tyr. 22,2. Etiam ,propter' pro ,ob' habes cum alibi tum Comm. 11,4, ubi luxuriae continuationem Commodo ob oculos versatam esse auctor certe dicere voluit. Explet ,ob' vicem totius enuntiati Sev. 8,9: seditionem ingentem ob locum castrorum metandorum ab exercitu passus est. Fortasse sic optime interpretaberis verba ,ob locum': quod locus displicuit exercitui. Nec non verba in vita Carac. 1,6 ,ob Iudaicam religionem' eiusmodi brevitatem praebent.

Unus Vopiscus Tac. 1,1 penes usurpat.

Valde dilatarunt scriptores h. A. praepositionis per notionem, sive homines sive res instrumenti locum tenere ostenderunt. Atque etiam ubi ,a' desideramus, persaepe illa praepositio occurrit, veluti Pesc. 3,1 ,per omnes Pescennius Niger est expetitus' Maxim. 13,1, Gord. 10,5. Prob. 19,3 etc. Prorsus pari modo utramque praepositionem usurpatam vides Maxim. 20,2: quibus ,a' populo Augustis appellatis ,per' milites et eundem populum etiam parvulus nepos Gordiani Caesar est dictus. Hac occasione oblata insero verba Vopisci Prob. 22,2, ut cognoscatur, quam strictus sit in adhibenda hac praepositione: ,tot bella gessit et quidem per se', i. e. ipse vel ipso duce, non per legatos vel per alios duces. Non minus late patet ,per' rebus ascriptum, ubi ablativus requiritur; satis esto unum exemplum Aurel. 1,5: dolorem ... vir sanctus per haec verba (pro ,his verbis') profudit. Unde fit ut bifariam scribatur illa dictio his auctoribus peculiaris: Pi. 11,1 ,per fumum aliquid vendere', contra Heliog. 10,3 ,aliquid fumis vendere'. — Notionem causalem ,per' frequenter efficit, quae etiam in ,per hoc' (Hel. 6,5) et ,per haec' (Gord. 4,5) cernitur; quamquam ea verba non modo loco adverbii ,propterea' posita, sed etiam instrumentum quoddam indicantia accipi possunt. — Praeter significationem illam, de qua primo loco disserui, eam dominari consentaneum est, qua locus determinatur. Ne huic quidem usui breviloquentiam abesse verba Spartiani Hadr. 13,1 docent: Post haec per Asiam et insulas ad Achaiam navigavit. Quae verba non dubium esse censeo quin ita subaudiantur oporteat, ut ad ,per Asiam et insulas' participium ,profectus' suppleatur. — Postremo intueamur Comm. 11,5, ubi

[1]) In vitis Getae Diadumeni Heliogabali Alexandri, quas equidem Lampridio assigno, ,propter' deest.

,per diem' in locum adverbii ,cottidie' successit aeque atque illud ,ad diem'. Etiam Flor. 17,4 ,per diem' in editionibus exhibetur, etsi codices haec habent: matris umbra ,semper diem' et Tacito et Floriano velut viventis optulit. Quae verba aperte depravata ita equidem lego: matris umbra ,semel per diem' et Tacito et Floriano velut viventis ,se' optulit. Pronomen ,se' iam in codice Palatino tertia manu sic interponitur idque aptissime, quoniam post ,viventis' id facile omitti potuit.

A Plewio ellipsis, quae aliquotiens dictionibus a praepositione post pendentibus subicienda est, adumbrata est duobus tantum exemplis, quamvis multa extent. Passim inveniuntur verborum conformationes, quibus ascriptum participium desideratur; exempli gratia Hadr. 3,2 ,post quaesturam' occurrit, ubi participium ,gestam' requiritur. Hanc rationem scribendi omnes auctores in suum usum converterunt praeter Gallicanum atque Pollionem Vopiscumque, apud quos sane bis ,post honores' (Tyr. 33,2 et Proc. 13,1) invenitur, sed tamen Valer. 5,1: post omnes honores et magistratus insigniter gestos. Spartianus vero et Lampridius et Capitolinus ad licentiam multo maiorem progressi sunt. Nam praeterquam quod verba in v. Hadr. 6,7 ,post Mauretaniam' (si Peterum sequimur) et in v. Pert. 3,2 ,post quattuor provincias consulares' breviloquentiam si non illius, de qua modo disputavimus, dissimilem, at certe aliquanto audaciorem continent, etiam talia exempla non desunt, quae idiotismi ac sermonis plane rudis speciem offerant; ex quibus haec deligam: Hadr. 13,6: post Africam = Africa peragrata. 19,13: p. Neronis vultum = Neronis vultu sublato. 24,12: p. testamentum = testamento scripto. Marc. 1,10: p. virilem togam = virili toga accepta. Alex. 31,2: p. epistulas = epistulis lectis et subscriptis. Maxim. 21,3: p. Alpes = Alpibus superatis. Gord. 26,6: p. Artaxansen et Antiochiam = Artaxanse et Antiochia receptis. Elocutiones tam audaces apud Gallicanum et Pollionem et Vopiscum nequiquam quaeris. Facere non possum quin duos locos commemorem, quibus potissimum illustratur licentia, quam scriptores sibi sumpserunt. Dicit enim Spartianus Hadr. 17,11: cui (scl. Hiberorum regi) et elephantum et quinquagenariam cohortem post magnifica dedit dona; similiter Capitolinus Maxim. 3,5: a Severo post argentea praemia torque aureo donatus est. Quamquam illo loco ,magnificis donis datis', hoc ,argenteis praemiis datis' auctori purae latinitati dedito scribendum erat, tamen quis est cui non persuasum sit utroque loco ,post' proxime accedere ad praepositionis ,praeter' notionem?

Transeamus ad hanc vocem praeter, quae in his imperatorum vitis nostro vocabulo ,ausser' semper respondet et non

secus atque apud alios aliquid excipi saepius significat quam aliquid addi. Etiam si in illam inquisiverimus, offendemus in brevitate quadam, cuius specimina nonnulla proferam. Per ellipsin accipienda sunt Gallicani verba Avid. 7,8: consensu omnium praeter Antiochenses Avidius interemptus est. Similiter Tyr. 6,4: praeter libidinem optimus imperator. Nec non his locis, quibus per ‚praeter' ratio quaedam addendi indicatur, similis brevitas occurrit: Gord. 10,6: quaedam praeter litteras secreto esse dicenda (= non modo litteras esse tradendas sed etiam quaedam secreto esse dicenda). Prob. 13,6: praedam qua illi praeter divitias etiam efferebantur ad gloriam.

Fastidiverunt scriptores omnes praepositionem s e c u n d u m, cuius vice non modo ‚ad' — ‚ad arbitrium': Comm. 6,8 et Ver. 7,10, ‚ad fidem': Alb. 12,14 et Gord. 2,1 etc. — et ‚ex' — ‚ex nomine': Ver. 10,9, ‚ex veritate': Gall. 3,5 etc. — funguntur, sed etiam ‚iuxta', cf. p. 15.

Apud unum Pollionem s u p r a translata notione est: Gall. 3,8 ‚supra modum'; idem Tyr. 30,15, in paragrapho autem insequenti, ut varietur, positum est ‚ultra femineum modum.'

U l t r a haud raro designat modum qui transitur. Cum brevitate quadam: Diad. 8,3: ultra aetatem = ultra adulescentium modum. Gord. 7,2: ultra procuratorem = ultra procuratoris consuetudinem. Aurel. 24,8: ultra homines = ultra hominum vires. Paene aequiparatur ‚ultra' cum praepositione ‚praeter' Marc. 11,9: qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent. Numeris appositum idem valet ac ‚plus quam': Maxim. 31,2: canes ultra duodecim. Aurel. 6,4: ultra nongentos quinquaginta.

Liceat etiam adverbium u s q u e in numerum praepositionum referri. Nulla praepositione ascripta illud ab his scriptoribus recte ita tantum poni solet, ut ad nomina urbium apponatur. Cui sententiae videtur repugnare Car. 3,4. ubi codices exhibent ‚usque Alexandrum'; suo autem iure Eyssenhardtius illud ‚ad', quod iam is qui codicem Palatinum tertium recognovit interposuit, in textum recepit ea ipsa de causa, quod nusquam in his vitis vestigia talis usus extant. — Illa breviloquentia, qua sermo vulgaris abundat, cum ad multas praepositiones tum ad u s q u e a d pertinet, id quod ex multis locis perspici potest, quibus praepositio ‚usque ad' cum suo accusativo successit in locum totius enuntiati ex ‚eo usque ut' pendentis. Cf. Hadr. 2,1 ‚venando usque ad reprehensionem studiosus', quae verba sic explicanda sunt: venando eo usque (adeo) studiosus, ut reprehensione dignus esset. Similiter Hadr. 3,1: usque ad summam peritiam et facundiam Latinis operam dedit = eo usque Latinis operam dedit, ut summam peritiam et facundiam assequeretur. Pi. 9,9: Tauroscythas usque ad dandos obsides

vicit = T. eo usque vicit, ut obsides dare cogerentur. Pari modo illustrandi sunt hi loci: Pi. 10,2. Comm 2,6 et 9,6. Pesc. 10,5. Alb. 9,7. Maxim. 31,4. Saturn. 7,4. Carin. 17,7. Reliquum est ut animum attendam ad duos locos, ubi ‚usque ad' vim efficit illi prorsus contrariam, quae in praepositione ‚ultra' numeris ascripta inest, atque eam ‚non plus quam': Alex. 42,3: ‚usque ad sex fuerunt' et Prob. 19,2, usque ad quinquagenos homines'.

B. Praepositiones quae **ablativum** requirunt.

Ut designetur, ‚ex' quo loco iter quoddam fiat, haud raro **a**, non ‚ex' videmus ei appositum: Hadr. 2,2 ‚abductus a patria'. Marc. 12,7: a Syria rediit. Alex. 45,2: ab urbe sum exiturus. Max. & Balb. 3,2: egressi a senatu. Quin etiam urbium nominibus ita ascriptum invenitur: Sev. 15,2 ‚a Brundisio' et Pert. 1,6 ‚ab Antiochia'. — Vim quandam rationis habitae continet ‚a' in determinandis muneribus aulicis: ab epistulis, a libellis, a rationibus, a memoria; exempli causa cf. Hadr. 22,8: ab epistulis et a libellis primus equites Romanos habuit. Alex. 31,1: ita ut ab epistulis libellis et a memoria semper adsisterent. Carin. 18,5: qui Diocletiano ab epistulis fuit. — Ac ne quis miram quandam structuram a me silentio praetermissam esse censeat, verba in v. Heliog. 10,1 ‚qui iam Caesar erat a senatu' quin genuinam lectionem contineant vehementer dubito; me quidem iudice ante verba ‚a senatu' evanuit ‚appellatus', quod ex his locis colligi potest: Alex. 1,2. 64,4. Heliog. 5,1. — Non incommodum esse mihi videtur hoc loco in verba Vopisci Aurel. 42,4 inquirere sic tradita: Valerianum enim, cum optimus fuerit, ab omnibus infelicitas paruit. Quod autem editionis principis auctoritas tantum valuit, ut vulgo ‚Valerianus . . . ab omnibus infelix apparuit' legeretur, Draegerus[1]) eo adductus est, ut respectum quendam statuendum esse ratus ‚ab omnibus' per ‚in jeder Hinsicht' verteret. Attamen meo quidem arbitratu optime Gruterus et Obrechtius hunc locum emendarunt, utpote qui illud corruptum ‚paruit' ex ‚separavit' ortum esse existimarent; quamquam ‚ab omnibus' in ‚a bonis' Obrechtio auctore mutetur nolim. Ergo scribendum esse censeo: Valerianum enim . . . ab omnibus (scl. quos et ipsos optimos fuisse dixi) infelicitas separavit. — De usu praepositionis ‚a' cum verbis separandi et amovendi coniunctae hoc solum monuerim in vita Marci 7,3 legi haec verba: ‚nec . . . ab eo mansit', ubi ‚ab' graviter pro ‚procul ab' dictum est. Eadem gravitas est in dictione illa ‚non ab

[1]) Draeger l. l. I, 580.

re est', quae Alb. 13,3 et Carac. 10,5 occurrit atque iam a Livio (8,11,1 et 35,32,6) usurpata est. — Refero denique huc singularem verborum structuram, quae est in v. Gord. 31,2: ne a crudelitate nancisci videretur imperium. Quis est cui ,a' non supervacaneum esse videatur?

Pari notione qua illud ,non ab re est' dictio est ,non absque re est', qua Vopiscus Aurel. 33,1 utitur. Ex Plewii verbis [1]) omnino non elucet ,absque' codicibus defendi; immo Peteri scriptura illi viro docto paene videtur coniectura orta esse. Sed praeterquam quod auctoritate satis idonea confirmatum est, ,absque' simili notione ab Apuleio de mag. cap. 55 usurpatur.

Praecipuo studio praepositionis cum adhibendae tenetur Capitolinus apud quem per illam saepissime ratio indicatur addendi loco copulativae coniunctionis, cf. Maxim. 14,3: Gordianus ... appellatus est ... Augustus cum filio 15,9: a nobis etiam Maximinus cum filio suo hostis est iudicatus. Similia habes Maxim. 21,2. 22,1. 23,7. 31,1. Gord. 11,9 etc. Ter ab eodem Capitolino solo verba κατὰ σύνεσιν coniunguntur: Maxim. 24,8: Maximus in Palatium cum Balbino et Gordiano victores se receperunt. Max. & Balb. 1,1: Interemptis Gordiano seniore cum filio. 13,4: Et Balbinus quidem cum Maximo urbem regebant. Ceteri quinque scriptores praepositioni ,cum' hanc vim addendi multo rarius attribuunt. Duo addam brevitatis exempla: Hel. 2,5 ,duraturum cum aeternitate mundi nomen' et Marc. 10,3 ,multos ex amicis in senatum adlegit cum aediliciis aut praetoriis dignitatibus. — Heliog. 23,7 meo quidem arbitratu ,cum' tollendum est, praesertim cum verbis ,cum piscibus implevit' antecedat ,iterum'. Etiam Iordanus auctore Salmasio illud inclusit uncis. —

Non improbanda est ea ratio dicendi, qua verba cum praepositionibus de, ex, ab composita cum harum prima coniunguntur. Sed apud hos scriptores de adeo praevalet, ut omnino pro ,ex' usurpetur, etiamsi narratur, qua ex terra homines aut veniant aut redeant, cf. Hadr. 25,3 ,venit de Pannonia', Hel. 4,7 ,de provincia redire', Marc. 10,7. Ver. 4,5. Heliog. 24,7. Alex. 58,1. Tyr. 15,5. Firm, 5,1. Saturn. 9,2; item undecunque loci: Marc. 5,3 ,de hortis recessit'. 10,8 ,recessit de curia'. Ver. 5,4 ,de convivio redire'. Avid, 6,2: de castris summovit. Comm. 6,10: revocatos de exilio. 16,3: de Palatio migravit. Gord 4,4: de Capitolio accipere etc. etc. Praeterea ,ex' desideratur in his dictionibus, ut gravissimas tantum commemorem: Hadr. 21,4 et Aurel. 49,9: esse de (bestehen

[1]) Plew l. l. p. 41.

aus). Marc. 19,1: de eo natum. Comm. 7,3: de quibus filios suscepit. Sev. 20,2: quem de Julia genuerat. Get. 5,5: de veteribus adprobare. Macr. 15,4: de plurimis collecta. Maxim. 1,5: de vico. 22,4: de proximo.[1]) Val. 4,1: de captivitate liberare. Aurel. 4,6: de cunis levare.[2]) Prob. 8,3: de praedato. Nec non materiam, ex qua aliquid fit, ‚de' cum suo substantivo designat, praecipue si e verbo faciendi pendet: Hel. 5,7: velamine de liliis facto. 5,8: mensas de rosis ac liliis facere. Gall. 16,2: cubicula de rosis fecit. Heliog. 19,6. Maxim. 33,1. Max. & Balb. 16,5. Aurel. 35,1. Quin etiam interdum ‚de' materiae definiendae causa positum est nullo verbo addito, cf. Heliog. 19,7 ‚triclinia de rosa'. 28,5 ‚de croco sigma'. Maxim. 27,8 monolinum de albis novem' et ‚dextrocherium cum copula de hyacinthis'. Hac occasione oblata temperare mihi non possum, quin Roenschii[3]) sententiam refellam, quam de usu huius praepositionis proposuit. Sunt sane auctores qui ‚de' scribant, ubi ablativus simplex requiritur, ut notio instrumenti efficiatur, cum Tertullianus, Minucius Felix, Lactantius, tum Apuleius, apud quem talia extant: Met. 3,7: nostraeque viduitati ac solitudini de vindicta solacium date. 8,8: Thrasyllus de ipso nomine temerarius. 9,40: de vastiore nodulo cerebrum suum diffindere. Similia a scriptoribus h. A. non suppeditantur; neque adstipulari possum Roenschio, qui quinque locis similem usum statuendum esse affirmavit; est igitur quod inquiramus in ipsa verba. Omisso autem loco corrupto Comm. 9,6 strictim attingo Heliog. 19,7 et 28,5, quos locos iam supra commemoravi. Roenschius certe ‚de rosa' et ‚de croco' cum verbo sternendi, non cum substantivo coniungenda esse opinatur nulla ratione habita similis loci Maxim. 27,8. Illud ‚de praeda' in vita Alexandri 55,2 — de praeda suum ditavit exercitum — par ducendum est dictioni ‚ex praeda'. Restat Tyr. 14,4, quo loco etiam ipso ‚de' pro ‚ex' scriptum est. Instrumenti igitur notionem apud hos scriptores praepositio ‚de' nullo pacto efficit. — Pro ‚ex' etiam in breviore dictione ‚de' adhibitum est Gord. 11,10 ‚imperatores de senatu', quae verba haec sibi volunt: imperatores, qui ex ordine senatorio profecti sunt. — Praeterea ‚de' pro ‚a' occurrit; invenitur enim non modo ‚originem

---

[1]) Non video causam mutandi. Nonne ‚de proximo' sensum saltem aeque idoneum praebet atque ‚die proximo,' quod Eyssenhardtius coniecit? Transito enim fluvio in regionem Aquileiae proximam Maximinus pervenerat. —

[2]) Hac dictione patet, quam flexibile ‚de' sit, quippe cum huic praepositioni vis nativae plane contraria tribuatur, ut ὀξύμωρον existat satis memorabile.

[3]) Roensch ‚Itala und Vulgata', Marburg und Leipzig 1869, p. 395.

trahere ,a' (Gord. 34,5. Alb. 4,1. Tyr. 12,14. Proc. 13,4), sed etiam ,originem trahere de': Alex. 28,7 et Gord. 9,4. Similiter ,sanguinem ducere de': Alb. 12,8. Huc spectat etiam Heliog. 34,6: qui se de Antoninorum genere dici volebant; et Alex. 12,5: cum eo accessiset, ut de animi virtute nomen acceperit. — Supervacaneum ,de' videtur esse Marc. 19,1: Commodum ... non esse de eo natum sed ,de' adulterio. Legendum vero esse ,de adultero' censeo et mox [1]) argumento quodam confirmabo. Ablativus solus usurpandus erat eleganti auctori his locis Vopisci: Aurel. 7,5 ,de praeda hostis, non de lacrimis provincialium vivant'; et Aurel. 39,4 ,de exemplo Atheniensium'.[2]) — Vice genitivi partitivi ,de' haud raro fungitur atque etiam nonnumquam praeter expectationem; sic Vopiscus Firm. 3,2 scripsit: tantum habuisse de chartis.

Saepissime ,de' in usum praepositionis ,ex' abisse iam supra exposuimus; sed etiam contraria ratio statuenda est: ex pro ,de' occurrit, ubi motus ex loco superiore ad inferiorem designatur. Exempla ut afferam, auctor vitae Marci 13,6 certe variandi causa scripsit: lapsus ex arbore. Similiter Sev. 3,5: ex altissimi montis vertice despexit. Heliog. 33,6: turrem... ex qua se praecipitaret. Etiam Comm. 11,9 auctor ,de' scripsisset vellem: Amazonius vocatus est ex amore seq. Sed haud dubie his verbis etiam causalis notio subici licet, quam hi scriptores non angustis finibus coërcebant. Hinc illa dictio ,ex eo', quae causam indicat, id quod e Marc. 19,6 satis elucet. Hac re permotus hoc persuasum habeo etiam Marc. 7,6 et Alex. 12,3 eandem vim illis verbis impertiendam esse. Sane dicat quispiam ibi ,ex eo tempore' subaudiendum esse. At vero nullum locum memoria teneo harum vitarum, quo temporis significandi causa ,ex' usurpatum est. Confirmatur mea sententia usu dictionis relativae ,ex quo', quam offendimus non modo coniunctam cum verbis intellegendi (Pesc. 8,2.6. Alex. 14,4. Prob. 6,7.) et apparendi (Gord. 5,4 et Prob. 3,7), sed etiam idem significantem atque ,hanc ob causam': Marc. 15,1. Pesc. 5,1. Alex. 13,1. Gord. 13,6. Max. & Balb. 12,5, vel ,qua re' Hadr. 17,6. Ut autem ,qua re' instrumenti quoque notionem continet, ita ,ex quo': Hel. 6,8. Heliog. 25,1. Prob. 17,1[3]). — Ablativus requiritur, si refertur, quo patre aliquis natus sit; quae lex neglecta est a Capitolino Gord. 22,4 et 23,1, quibus locis explanatur ,ex' filio Gordiani tertium Gordianum esse

---

[1]) cf. pag. prox.

[2]) cf. Apul. Met. 8,539: de iussu dominae blandiens ei.

[3]) Simili modo Lactantius saepius ,ex quo fit ut' ponit, ubi ablativum solum desideras.

natum[1]). Nihil igitur erat quod Peterus in vita Marci 19,7 lectionem codicum ‚Commodum omnino ex adultero natum' ita mutaret ut ‚ex adulterio' scriberet; iure Jordanus illam servavit Quin immo tantam fidem hoc loco codicibus habeo, ut etiam Marc. 19,1 ‚de adultero' scribatur velim[2]). — Praepositio vero prorsus omissa est Sev. 1,1 ‚Africa oriundus', Aurel. 3,1 ‚ortus Dacia ripensi', 3,2 ‚Moesia genitum', Carin. 20,5 ‚lineas petitas Aegypto'. — Memorabilem denique rationem dicendi hi scriptores sibi sumpserunt, quae consuetudo a nostro sermone non longe abest. Is enim vir, qui consulis munere functus antea consularis (ὑπατικὸς) vocari solebat, ab his scriptoribus ‚ex consule' appellatur. Cf. Gord. 11,4: ambo ex consulibus. 22,1: ambos ex consulibus. Similiter Alex. 31,2: ex assessore suo. Maxim. 20,1: Maximum ex praefecto urbi. Atque etiam mira dictione Pollio utitur Tyr. 8,1: Marius ex fabro, ut dicitur, ferrario triduo tantum imperavit. Verba ‚ex fabro ferrario' significant eum qui faber ferrarius antea fuit.

Consuerunt h. A. scriptores prae ceteris pro ‚praeter ceteros' dicere: Hadr. 16,10. Marc. 6,9. Macr. 12,1. Tyr. 3,9 et 11,6. Prob. 12,1. Praeterea praepositione ‚prae' non significatur aliquid praeferri nisi apud Vopiscum Tac. 11,2: prae omnibus holeribus adfatim ministratis lactucis inpatienter indulsit. Sint haec verba non corrupta: certe subtilius dictum esset ‚praeter omnia holera'.

Ex usu bonorum scriptorum verba solvendi et remunerandi vel similia cum praepositione pro coniunguntur, ad quam consuetudinem hae dictiones sunt referendae: Hadr. 23,14 et Hel. 6,1: pro adoptione pecuniam dare. Aurel. 13,3: cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas seq. Prob. 7,4: te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata. Cum brevitate quadam Diad. 2,1: Habete ... pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos seq. Eadem notio solvendi subest Hadr. 13,10: procuratores et praesides pro factis supplicio adfecit. — Late patet illud ‚pro', quod ad vocis ‚secundum' vim proxime accedit; ne longus sim, id tantum moneo scripsisse Capitolinum Gord. 24,3 ‚pro libidine' loco verborum ‚ex libidine' vel ‚ad libidinem'. De notione verborum in eadem vita 21,5 ‚pro sui administratione' (secundum editionem Mediolanensem) ut prorsus corruptorum

---

[1]) Sed sequitur idem auctor hanc legem Gord. 2,2, quamquam hunc ipsum locum Draegerus I, 479 ita commemorat: ‚natus ex patre Metio'. Sic quidem legitur in editione principe, sed codd. exhibent: ‚natus est patre Mecio.'

[2]) cf. praepos. ‚de', pag. 22.

certum iudicium ferre dubito. — Addam singulas res memorabiles. Insolita est dictio Heliog. 11,2: silentium ac ruborem pro consensu ducens. ‚Erga' desideratur duobus locis: Maxim. 33,1 ‚tanta fide . . . pro senatu' et Max. & Balb. 11,3 ‚devotis pro Romanis.' Unde utroque loco ‚pro' profectum sit, satis liquet: illo priore cum vi quadam ‚pro senatu' verbis ‚contra Maximinum' opposuit auctor; altero loco dictio ‚se devovere pro aliquo' tantum valuit, ut cum hac praepositione etiam substantivum ‚devotio' coniungeretur. ‚Devotum pro Hadriano' invenitur apud Spartianum Hadr. 14,5. Aevi posterioris est ‚timere pro', quod Comm. 19,8 occurrit[1]).

In brachylogiam saepissime incidimus perscrutantes, quo modo scriptores praepositione sine usi sint; sed gravissima tantum promam. Semper fere per totum enuntiatum verba huc pertinentia sunt exprimenda cum aliis locis tum his: Hadr. 23,9: Sabina uxor non sine fabula veneni dati ab Hadriano defuncta est; i. e. Sabina uxor defuncta est nec fabula aberat seq. Marc. 6,7: tantumque apud Pium valuit (scl. Marcus), ut numquam quemquam sine eo facile promoverit (scl. Pius). ‚Sine eo' idem valet atque ‚nisi eum consuluerat'; praeterea hoc loco mutatio subiectorum — ut hac voce utar — reprehendenda est. Marc. 26,13: dicens voluisse se sine senatorio sanguine imperium transigere. Alex. 44,2: [Fuit Alexander] ad inveniendum sollicitus, sed sine cuiusquam excidio. Maxim. 13,5: quod . . . sine delicto consulares viros et duces multos interimeret. Flor. 17,5: imago Apollinis . . . sine hominis cuiuspiam manu deprehensa est.

C. Praepositiones quae coniungi possunt cum utroque casu.

Scriptores h. A. quamquam in tractandis terrarum nominibus plerumque latinitatem Ciceronianam sequuntur, tamen pro in cum accusativo nonnumquam accusativum solum ponunt: Hadr. 2,5 ‚Germaniam', Ver. 7,1 ‚Mediam', Alex. 63,5 ‚orientem', Tyr. 21,1 ‚Thessaliam', Gall. 2,5 ‚Asiam.' Unus Capitolinus abstinet ab hac vitiosa dicendi ratione, quin immo verba sua urbanitatis colore afficere studens dicit Maxim. 10,2 ‚in Germanos transire'; quae μετωνυμία praeter hunc locum non invenitur. — Idem, quod ‚usque ad', significat haec praepositio Comm. 3,7 ‚potare in lucem' et Aurel. 42,3 ‚ab Augusto in Diocletianum.' Est huius loci eorum ver-

[1]) Eandem verborum structuram adhibuit Plin. epist. 3,17; est praeterea illa poetarum, cf. Ovid. Met. 9,241.

borum mentionem facere, quibus Spartianus Hadr. 7,9 usus est: ‚in diem vitae suae'; respondent enim nostris „für die Zeit ihres Lebens." — Quo consilio aliquid factum sit, ‚in' creberrime indicat. Frequens est ‚in honorem alicuius': Hadr. 6,1. 12,2. 19,5. Alex. 13,6. 26,10. 35,4. 39,1. Maxim. 14,1. 30,5. 33,2 etc.; nec tamen occurrit apud Gallicanum, Pollionem, Vopiscum. Marc. 10,2: ‚in honorificentiam senatus.' Ver. 6,5, Comm. 7,1, Heliog. 30,8, Tyr. 18,12, Claud. 3,1: ‚in gratiam alicuius'. Heliog. 1,5: ‚in argumentum generis.' Maxim. 15,7: ‚in subsidium rei publicae'. Gord. 32,5: ‚in usum privatum'. Gall. 10,2: ‚in vindictam Valeriani'. Qualem exitum aliquid habuerit, optimi auctores per ‚in' non expresserunt; apud hos vero scriptores extat unum exemplum idque apud Capitolinum Maxim. 7,1: His rebus conspicuum virum Alexander ... in suam perniciem omni exercitui praefecit[1]). Atque etiam causalis vis interdum inest in hac praepositione, cf. Pesc. 2,1: appellatus est imperator ... magis in Juliani odium quam in aemulationem Severi. Occurrit haec dictio ‚in odium alicuius' etiam Alb. 12,1. 14,6. Maxim. 13,4. 14,4. 23,5. Tyr. 22,5 semper idem significans atque ‚odio alicuius' (Marc. 5,5. Tac. 2,5 etc.). Pari modo Pollio non modo ‚contemptu Gallieni' (Gall. 5,1.7. Claud. 7,4) dicit, sed etiam ‚in contemptum Gallieni: Tyr. 11,1. — Usitata erat dictio ‚in locum alicuius praefectum facere aliquem'; occurrit ter: Comm. 6,12. Jul. 3,6. Gord. 29,1. Similiter Spartianus Sev. 8,8: Domitium Dextrum in locum Bassi praefectum urbi reliquit. — In adverbium abiit ‚in tantum', quod eodem sensu usurpatur quo ‚eo usque' vel ‚adeo' et iam apud Livium reperitur; habes Hadr. 8,7: senatus fastigium in tantum extulit; Ver. 4,6: fertur ... in tantum vitiorum Gaianorum ... fuisse aemulum.

Remissos ac neglegentes scriptores h. A. se praebent usu praepositionis in cum ablativo coniunctae, id quod potissimum cernitur, si mores atque ingenium uniuscuiusque imperatoris literis mandantur. Quo enim respectu aliquis talis sit, qualem dicit auctor, persaepe per ‚in' demonstratur idque tam late patet, ut hos scriptores usum sermonis pessimi et degenerati imitatos esse appareat. In cum ablativo gerundii vel gerundivi sane ex usu optimo apponitur adiectivis, nonnumquam etiam in cum substantivo, velut Macr. 13,5: in cena effusissimus. Sed permultis locis desideratur ablativus limitationis vel relationis, cf. Alb. 13,1: in luxurie varius. Carac. 1,4: non ille in litteris tardus, non in benivolentiis — nam ita cum Jordano legendumst — segnis,

[1]) Similiter Tacitus Hist. 5,15: in mutuam perniciem.

non tenax in largitate, non lentus in clementia. Aurel. 50,4. rarus in voluptatibus. Sed ne longam seriem exemplorum perlustrem, ea adiectiva, quae magnitudinem quandam significant, addere satis esto. Capitolinus enim non solum Maxim. 3,3 ‚quantus in currendo' scribit, sed etiam Max. & Balb. 2,7 ‚in re militari tantus', 7,4 ‚in voluptatibus nimius'. Hoc idem invenitur apud Spartianum Hadr. 14.9. Similiter Pollio Tyr. 5,4: in labore nimius. Utramque verborum consecutionem deprehendimus Max. & Balb. 7,2: rebus bellicis minor fuerat quam in civilibus. Maxima scribendi neglegentia occurrit Hadr. 15,10 ‚in omnibus artibus peritissimus'[1]) (c. gen. 14,8 et 10 etc.). Nec Capitolinus sibi constitit, utpote qui Gord. 21,1 scripserit ‚in reliquo ciborum genere parcissimus', omnibus tamen ceteris locis ‚parcus' cum genitivo coniunxerit, cf. Maxim. 28,1. Gord. 6,6. 19,2. Max. & Balb. 6,1. — Teste Draegero ‚in' poni solet, si adverbiis numeralibus indicatur, quotiens aliquid intra certum temporis spatium factum sit, qua cum lege discrepare duos locos ille vir doctus dicit: apud Catonem r. r. 157 ‚bis die' et in vita Hadriani a Spartiano conscripta 9,7 ‚bis ac ter die[2]). Recte contra Capitolinus Gord. 6,6 ‚quarto et quinto in die' et Maxim. 4,1 ‚saepe in die'. Praeterea discrepant a pura latinitate hae dictiones, quibus tempus determinatur: Sev. 1,4 et Maxim. 2,1: in prima pueritia. Max. & Balb. 9,5: in illa aetate. Claud. 13,3: in primis annis. Gord. 15,3: in eodem bello (interficitur). Cum abundantia quadam ‚in' videtur additum etiam Hadr. 23,1: in summis plerumque imbribus atque frigoribus. — Mirandum in modum ‚in' usurpatur pro ablativo instrumenti his locis: Hadr. 12,5: in nullo omnino commotus. 17,6: notum sibi in militia. Marc. 21,9: auctionem . . . in qua vendidit. Max. & Balb. 12,4: cum coronis et senatus consulto, in quo . . . decernebantur. 15,1: quod in re ipsa intellegi potest. 17,1: epistolam in qua laetatur. Aurel. 18,6: in diverso caerimoniarum genere. Carin. 19,2: qui velut in ventis cothurnatus ferretur. Huc spectat etiam Comm. 11,9: Marciae quam pictam in (= in Gestalt) Amazone diligebat.[3]) Pro ablativo causae Vopiscus Aurel. 36,3: non in magna neque in satis idonea causa. — Addam tres locos, quibus offenditur: Hadr. 18,11: in domo. Marc. 18,1: Cum igitur in (= cum) amore omnium imperasset. Aurel. 5,1: multa superflua in eodem (scl. in Callicrate Tyrio) legisse memini. —

[1]) Ad haec cf. Propert. 2,34,82: peritus in amore.
[2]) Draeger l. l. I, 489.
[3]) cf. Apul. Met. 3,191: fixus in lapide steti gelidus.

Sed multo magis praestat ruinam linguae latinae permutatio casuum eorum, quibuscum ,in' coniungi solet. Habes enim ,in c. accus'. pro ,in c. ablat'. his locis: Avid. 4,7: cum ingens seditio in exercitum orta esset. Pert. 3,8: et seditiones quidem contra imperatorem compescuit in Brittaniam. Iul. 2,1: curam alimentorum in Italiam meruit. Sev. 9,4: administrantem se in orientem riserant. 12,8: Commodum in senatum et contionem laudavit. Maxim. 24,6: litteras quae in urbem ingentem laetitiam fecerunt. Gall. 4,9: in Siciliam ... bellum extitit. Tyr. 12,12: rebus in orientem derelictis. 14,5: quae ... in circuitum omnem historiam contineret. Claud. 15,2: habet in potestatem.[1]) Aurel. 4,6: in aram posuerit. At vero haud improbanda constructio occurrit in vita Alexandri 46,4: in aerarium reponebat.[2]) Errat autem Draegerus, cum dicit[3]) nusquam nisi Curt. 7,3, 23 ,considere' ita usurpari, ut verbum proficiscendi subaudiendum sit; nam idem occurrit apud Vopiscum Tac. 3,2: cum in curiam Pompilianam ordo amplissimus consedisset. — Videamus nunc, quibus locis ,in c. ablat.' in locum successerit eiusdem praepositionis cum accusativo coniunctae. Comm. 20,5: in re publica incubuit. Pert. 2,5: lectus est in senatu. Sev. 4,3: iam Commodo in odio veniente. Alb. 9,2: venturum in potestate eius Albinum. Maxim. 26,4: in loco Maximini Gordianus sufficiatur. 31,3: in eam urbem in qua se contulerat. Gord. 5,6: in literis relata est. (Attamen Tac. 1,1. Prob. 2,3. 3,2. Carin. 21,1: in literas referre; aeque Gord. 21,5: in literas mittere.) Gord. 6,4: in familia eius quasi filium migrasse. Max. & Balb. 5,3: in cella eorum proiecisse. Tyr. 4,1 et Aurel. 5,3: in honore eius.[4]) Tyr. 5,7: convenientibus in Romano solo gentibus.

Praeter unum locum apud Lampridium Heliog. 24,5 ,parasitos ... sub aquas mittebat' semper sub cum ablativo coniunctum est. Illa loquendi consuetudine, ex qua ab omnibus auctoribus ,sub radicibus montis' dici solet, quae vis ad nativam proxime accedit, cum regio monti vicina quasi subiecta eidem et obnoxia habenda sit, non modo nonnulli poëtae eo adducti sunt, ut omnino propinquitatem per ,sub' exprimerent[5]), sed

---

[1]) cf. Sall. Iug. 111: in gratiam habituros. Cic. pro Rosc. com. 50: in iudicium haberet.

[2]) Draeger l. l. I, 616.

[3]) Draeger l. l. I, 617.

[4]) Reicio Madvigii sententiam, qui mutatione opus esse contendit in advers. crit. (1873), vol. II p. 644. Ad haec cf. p. 25 h. diss., ubi a Pollione et a Vopisco dictionem ,in honorem alicuius' repudiatam esse docui.

[5]) Verg. Aen. 9,244; sub vallibus etc.

etiam auctor vitae Carac. 9,9: idem viam novam munivit, quae est sub eius thermis. Quibus verbis via nova prope thermas Caracalli sita vocatur. Illi Livianae dictioni ‚sub iactu teli esse' similis est sub ictu teli versari, quae Alex. 55,1 occurrit. Aeque translata notio offertur Flor. 15,2: qui Francos et Alamannos sub Romanis legibus habeat. In verbis Capitolini Maxim. 30,2 ‚scutum eius sub sole arsit' praepositio facile omitti potuit, ut notio instrumenti efficeretur; quam tamen diluit vis localis. — Optimam dicendi rationem, secuti sunt Spartianus et Pollio ‚sub' ponentes, ut res diversas eodem tempore gestas indicarent: Hadr. 25,8. Tyr. 7,1 etc. Huc etiam Sev. 2,6 pertinet: fustibus eum sub elogio eiusdem praeconis cecidit. — Tales dictiones ‚sub consulibus' ‚sub imperatore' ‚sub principe' ‚sub tribunis militaribus' similesque quae temporibus imperatorum post Augustum dominantium in usum omnium auctorum venerant, passim etiam in his vitis reperiuntur. — Summa denique licentia scriptores h. A. ‚sub c. abl.' pro ablativo solo ponebant, ut docerent, qua conditione proposita aliquid factum esset. Congruunt sane cum auctoribus aevi, ut ita dicam, argentei, cum scribunt Pi. 11,3: ‚orationes quae sub eius nomine feruntur' et Marc. 23,9: ‚sub philosophorum specie'. Sed processerunt usque eo, ut consecutionibus verborum vix ferendis uterentur, cf. Sev. 17,1: Iudaeos fieri sub gravi poena vetuit. Carac. 4,9: sub diversis occasionibns. Heliog. 13,8: imperavit sub praemiorum spe atque honorum. Tac. 1,3: ne aliquis sub aequabili dignitate Romani expers remaneret imperii. Tac. 2,2: sub iudicio senatus et militum populique Romani totus orbis est temperatus. Prob. 5,4 et 6,5: sub testimonio huius modi.

Ut sub, ita s u p e r ab uno Heliogabali auctore (30,4) cum accusativo coniunctum est. Praeterea hanc praepositionem ita tantum usurpatam videmus, ut idem valeat atque ‚de', cf. Alb. 2,4. 5,10. Tyr. 1,2. Car. 8,4. Huc accedit Alb. 10,5, qui tamen locus pro integro meo quidem arbitratu non habendus est. Verba sunt haec: quarum (scl. epistularum) unam inserere ad praefectos datam super eius nomine, absurdum non fuit. Vice praepositionis ‚de' nequaquam ‚super' hoc loco fungitur, quoniam in ea epistula de nomine Albini non agitur. Medella igitur verba certe egent, quae duabus rationibus adhiberi posse mihi videtur: aut loco illius super ‚sub' restituendum est aut post ‚super' inserendum ‚hoc' vel similis vox. Haec sanandi ratio ea re defenditur, quod in hac ipsa vita iam antea bis eadem praepositio usurpata est; sed illa mihi magis probatur, quod facilius oriri potuit talis depravatio. Ergo ‚sub eius nomine' legatur malim.

Praepositionum instar habentur

D. Causa et Gratia,

quas voces, ne manca sit haec quaestio, silentio praetermitti non licet Utraque occurrit cum gerundio et gerundivo: ‚causa' apud omnes scriptores praeter Gallicanum, ‚gratia' quinquies et his quidem locis: Hadr. 14,3. Carac. 7,1. Gord. 8,6. 28,6. Gall. 10,4. Quin etiam ‚causa' cum genitivo suo haud raro locum longioris sententiae finalis obtinet, cf. Hadr. 18,2. Alex. 35,2. Ab omnibus autem Romanorum auctoribus ‚causa' non modo ita usurpatur, ut ostendat, quo consilio aliquid factum sit, sed etiam aeque ac ‚propter' causam significat, quae reapse extat. Haec consuetudo etiam per has vitas imperatorum manavit atque adeo nimium viguit. Documento sunto Iul. 6,8: cum senatus hostem Severum Iuliani causa iudicasset; Gall. 19,1: occisus deinde non sua sed patris causa; Hadr. 13,9: causa speciatim Farasmanis. Sed longe recesserun, scriptores h. A. ab usitata loquendi ratione, cum ‚gratiat eodem modo usurparent. Scripsit enim auctor Diadumeni 3,3: ut amaretur ab omnibus gratia venustatis. Item Capitolinus Gord. 18,5: tantus iuris dictionis gratia fuit; et Vopiscus Prob. 19,3: gratia novi viroris. Ex sua libidine hi auctores voces ‚causa' et ‚gratia' modo antecedentes substantivo faciunt modo subsequentes. Solet vero subsequi et ‚causa' et ‚gratia' gerundii formas excepto uno loco apud Vopiscum Aurel. 49,3.

E. Additamenta generalia ad praepositiones.

De collocatione praepositionum apud scriptores H. A. certae leges ut proponantur, fieri non potest, si quidem ad suum quisque arbitrium illam adhibuit. Legimus Hadr. 23,12 ‚ob cuius adoptionem', Maxim. 26,7 ‚de quorum vita', contra Max. & Balb. 17,2 ‚cuius ad salutem' et ‚cuius pro iudicio'. Passim occurrunt verba sic collocata, ut praepositio seiuncta sit ab eo participio, quocum arte cohaeret: Marc. 23,7: de amatis pantomimis ab uxore. Macr. 9,6: suscepta enim illa noctu in oppidum. Alex. 5,3: delatum sibi Antonini nomen a senatu recusavit. Maxim. 11,1: desciscentibus sagittariis Osdroënis ab eodem.

Inveniunter praeterea verba tali modo distracta: Alex. 65,2: de bonorum virorum respondere sententia. Maxim. 28,4: quae longe ab illius fuit vita. —

Non legitime neglecta est saepissime praepositio duobus pluribusve membris enuntiati coniunctis. Hadr. 7,6: in urbe atque Italia. 13,1: per Asiam et insulas. Max. & Balb. 12,7:

cum ingenti pompa et multitudine etc. etc.[1]) Nec non desideratur praepositio Hel. 7,5: post Caesarem dictatorem, hoc est divum Iulium. Ponenda denique illa erat etiam in membris disiunctivis, ut Prob. 16,5: vel per terrorem vel urbanitatem.

§ 3. De coniunctionibus.

A. De coniunctionibus **coordinationem** efficientibus.

1) Inter coniunctiones copulativas primum locum et tenet, quam particulam summa neglegentia incuriaque maxima permultis locis scriptam videmus, ubi legibus bonorum auctorum repugnat. Perlustra paucas paginas: iam series verborum aut sententiarum nonnullas erues, quarum extrema membra per ‚et' coniuncta sunt: Hadr. 14,11. 17,2. 20,11. 21,4. Gord. 11,2. 13,7 etc. etc. Et quamquam apud Pollionem et Vopiscum asyndeta praevalent, tamen ne in vitis quidem ab iis conscriptis exempla huius usus desunt: Tyr. 12,5. Claud. 13,2. Aurel. 42,4. 43,1. 50,4 etc. Nec minus offendimus in eam scribendi rationem, qua ‚et' a negatione sine ulla causa separatur. Occurrit enim ‚et non': Avid. 2,1. Comm. 19,6. Aurel. 8,3. Tac. 9,6 etc. Similiter ‚et nihil': Pi 2,7. Pert. 13,6. Maxim. 19,2; ‚et nullus': Avid. 2,3. Pert. 9,7; ‚et numquam': Alex. 29,4; ‚et nondum': Maxim. 8,1. Bene scripsit ‚et non' auctor vitae Alexandri 53,7[2]); hoc enim loco sententia, quae antecedit, corrigitur contraria sententia adiecta. — Nectuntur frequentissime enuntiata per ‚et' ita, ut uno vocabulo vel duobus interpositis ‚quidem' sequatur, non quo hac voce vis concessiva efficiatur, sed ut illud unum vocabulum vel illa duo premantur. Saepenumero autem ad copulandas tantum sententias scriptum est: Gord. 6,1 ‚et erat quidem'. Max. & Balb. 14,1. Ver. 2,7 etc. Quamquam non desunt loci, quibus per ‚et . . quidem' etiam singula vocabula adiungantur, ut aliquid accuratius definiatur aut subtiliter determinetur: Hadr. 20,10. Maxim. 11,3. Max. & Balb. 1,2 etc. Multo autem saepius ‚quidem' particulam ‚et' subsequitur nulla voce intermissa: Hadr. 6,1 ‚datis ad senatum et quidem accuratissimis litteris'; Hadr. 6,5. 15,1. Marc. 2,6. 16,1. 19,12. 24,2. Prob. 11,2. 15,5. 19,1. 22,2. 24,7 etc. etc. Ex usu optimo sola vox ‚et' illam notionem continet, si id vocabulum, quod accuratiore definitione eget, iteratur; sic Pollio Tyr. 33,8 ‚hos libellos . . . dicto et

---

[1]) Iteravit Peterus Gord. 9,5 praepositionem idque iniuria. Verba enim codicum ‚in plurimis autem libris invenio et hunc Gordianum et filium eius . . . Antoninos cognominatos, alii vero Antonios' mutavit ita: ‚in plurimis . . . in aliis vero Antonios.' Lego equidem: ‚alibi vero Antonios.'

[2]) cf. Draeger l. l. II, 7.

dicto cum ea festinatione' seq. et Claud. 15,2 ,dux factus est et dux totius Illyrici'. Etiam a Vopisco ,et' cum gravitate positum est: Car. 8,6. — Infinitus est numerus eorum locorum, ubi ,et' vice fungitur particulae ,etiam', ut aliquid novi addatur. Sub oculos autem ea potissimum scribendi ratio cadit, qua enuntiata singula per ,et' coniunguntur praemisso tamen verbo, veluti apud Spartianum Hadr. 19,11 ,fecit et sui nominis pontem' et paulo post: ,transtulit et colossum'. Abundant talibus locis imprimis vitae Marci, ubi quattuordecim, et Heliogabali, ubi triginta fere exempla extant. Nimium sane valet hic usus in illa priore vita; aegre certe ferenda est haec verborum collocatio, quam Marc. 8,3 offendimus: dabat se Marcus totum et philosophiae. Quo tamen loco fortasse Gemollius[1]) non iniuria censet post vocem ,philosophiae' incuria librarii quaedam interisse. At in nonnullis libris ne unum quidem exemplum occurrit: in vitis Helii Pertinacis Pescennii Getae Diadumeni; sed de hac re suo loco fusius dicemus. — Sed etiam latius patet licentia horum scriptorum in scribenda hac particula, quippe quam ultra modum et usque ad taedium legentium usurpatam videamus. Nonnullis enim locis illa prorsus digna est quae eiciatur, cf. Alb. 9,2: quod et factum est. Heliog. 23,5: quo et usus est domi. Neutro loco ,etiam' subaudiendum est, sed ,et' fluxit ex sermone plebeio, quem minutis tenuibusque verbis abundare constat, ut etiam nos tales particulas ,auch', ,ja' sermoni cottidiano immiscere consuevimus. Fortasse illud ,et' per ,sane' reddi potest, si levissimam vim huic voci licet attribui. — ,Et' cum gravitate positum haud raro particulae nostrae ,sogar' respondet: Marc. 2,5. Heliog. 14,8. 18,1. Aurel. 50,5 etc. Ubicumque praeterea hanc vocem ,etiam' sequitur, unum vocabulum aut plura intermissa sunt[2]); sciendum autem est, ,etiam' omnibus locis, ubi cum particula ,et' coniunctum occurrit, ad unam vocem, non ad totam sententiam pertinere: Hadr. 26,5. Alex. 39,9. Max. & Balb. 15,2. Quin etiam Spartianus Hadr. 23,5 haec: et eodem modo et (= etiam) Terentium Gentianum.

Non est quod multus sim in tractanda particula a c. Etiam hac voce membrum seriei verborum aut sententiarum extremum ad ea, quae antecedunt, adiungitur, etsi raro: Heliog. 17,7. Gord. 26,4 etc. Deinde interdum, quamquam perraro, male

---

[1]) Programm des Gymnas. z. Wohlau, 1876, p. 13.

[2]) Hanc ob rem Petero adstipulor, qui Comm. 1,5, ubi codices ,et suis praeceptis et et magnorum atque optimorum virorum' praebent, in editionibus vero vetustioribus secundum alteram manum codicis Palatini,et suis praeceptis et etiam magnorum . . .' legebatur, alterum ,et' ut dittographia ortum expungendum esse censuit.

seiunctum est ‚ac' vel ‚atque' a dictionibus negativis, ut Heliog. 6,7 ‚atque in ea nihil repperisset'. Nec deest coniunctio particularum ‚ac' et ‚quoque': Hadr. 17,12: ‚atque inter haec auratas quoque clamydes'; Alex. 54,1 ‚ac ferro quoque'; alibi. Eadem vis augendi inest in ‚atque etiam', cf. Macr. 4,10. Pert. 8,5. 12,8. Inusitatam vero notionem continet ‚atque adeo', de qua dictione disseremus, cum quaestionem instituerimus de particulis conclusivis.

Numquam ‚et', numquam ‚atque' loco coniunctionis adversativae adhibetur, semel tamen que idque Gall. 9,7: non pudore, non maerore, non pietate commotus est (Gallienus) scurrasque iussit vivos exuri.[1]) — ‚Que' verbo in c exeunti adiunctum, quod scriptores puriori latinitati dediti vitant, aliquotiens invenies. Habes Alex. 35,6 ‚sicque'; habes saepius ‚tuncque': Iul. 7,11. Alex. 54,5. Tyr. 12,2; tuncque primum: Marc. 7,6. Comm. 6,9 et 13. Sev. 12,4. Alex. 39,7. Quoniam autem Brocksius[2]) commemoravit a quibusdam auctoribus ‚que' certis vocabulis adiectum praeferri, id unum moneo auctorum singulorum singulas vitas valde inter se differre, cum haec vox enclitica nequaquam pari modo in vitis eiusdem auctoris posita sit. Ut exempla afferam, ‚cumque' in vita Severi saepe - 2,9. 8,14. 18,10. 22,1.2. — ‚sed in vitis Helii et Pescennii ne uno quidem loco occurrit. Adnotat sane ille vir doctus ‚cumque' Marc. 5,4, immemor tamen omnium locorum eiusdem vitae, quibus vocabulo ‚cumque' neglecto ‚et cum' invenitur: Marc. 6,5. 12,14. 21,2. 28,2.5.6. Omnino non occurrit ‚cumque' in vita Claudii nec tamen raro in vitis XXX tyrannorum ab eodem Pollione conscriptis, cf. 6,2. 9,1. 11,3. 21,4. 33,3. ‚Idque' sane amat auctor vitae Heliogabali: sexies scilicet hoc scripsit. Sed haud dubie repudianda est Peteri coniectura ‚idque' pro ‚quidam' vel ‚quidem', quod codices Heliog. 10,6 habent, et praeferenda Jordani ‚et quidem'. ‚Dumque' nisi apud Pollionem Claud. 6,2 et apud Vopiscum Aurel. 18,3 et Tac. 2,6 non reperitur.

De particula negativa nec haec proferenda sunt. Cum vi quadam frequenter pro ‚ne. quidem' usurpata est nec tamen a Vopisco. Duobus autem locis, ubi codices uno consensu ‚ne' suppeditant, quod pro ‚ne. quidem' certa auctoritate probati cuiusdam auctoris comprobari posse Madvigius negavit[3]), non cum Jordano facio, qui utroque loco ‚nec' restituendum

---

[1]) Congruit Pollio hoc usu cum Cicerone, Caesare, Sallustio, Livio, aliis, cf. Draeger II 41–42..

[2]) Brocks l. l p. 28.

[3]) Madv. ad Cic. de fin. (edit. III), p. 82–83.

esse censuit, sed cum Petero sentio, qui codicum scripturam retinuit. Sunt vero hi loci: Alb. 5,8: ne hoc omen pater abnuit; et Diad. 7,2: ut illi ne deorum nomen commode videretur adiungi. Ad hanc loquendi rationem cf. Apul. Met. 3,192: Ac ne istud, quod vehementer ingemiscis, contumeliae caussa perpessus es; et 5,341: Iamque ista quae ferimus non parentibus nostris ac ne ulli monstremus alii seq. — Non incommodum erit etiam de ‚nec. quidem' hoc loco verba facere. Fuse ac copiose disputat de hac verborum coniunctione Madvigius ad Cic. de fin. p. 809—815, ubi eam notionem illarum particularum, qua et progressus et ascensus efficiatur, reiciendam esse exponit. Et recte quidem; nam ‚nec. quidem' vere ac sincere pro ‚et ne. quidem' scribi non potest, quod ‚ne' copulativam particulam in se recipere non potest[1]). Ergo non convenit hic usus cum bona latinitate; occurrit tamen is Hel. 3,5. Alb. 8,2. Alex. 32,1. Tyr. 10,14. Iure Kellerbauerus Peterum vituperasse[2]) mihi videtur, qui contra codicis Bambergensis auctoritatem Gall. 10,5 ‚nec inter deos quidem' in textum recepit. Praeterea Iordano non adstipulari non possum genuinam esse lectionem codicum in v. Hadr. 23,15 neganti; ibi enim Spartiani verba sic traduntur: Commodus autem prae valetudine nec gratias quidem in senatu agere potuit. Adhaesit fortasse litera C ad vocem ‚ne', quod similis litera G subsequitur. Scribo igitur hoc loco ‚ne gratias quidem' cum Iordano et Kellerbauero.[2]) — Geminatis particulis negativis affirmatio efficitur; nec desunt loci, quibus coniuncta sint verba per ‚nec non', velut Pert. 8,6. Idem haud dubie Pert. 5,6 restituendum est: etiam patris patriae nomen recepit nec non simul etiam imperium proconsulare nec non ius quartae relationis. Sic cum Petero legendum est, quamquam ‚etiam' sequitur. Nam hanc scribendi rationem non insolitam fuisse elucet ex verbis Spartiani Sev. 9,9: Parthis etiam in dicionem redactis nec non etiam Adiabenis.

E t i a m non modo vocabulo premendo antecedit, sed etiam subsequitur. Saepe adverbio relativo ‚unde' postponitur: Marc. 18,8. Macr. 12,9. 14,2. Maxim. 22,2. 23,1. 28,9 etc., nusquam apud Gallicanum et Vopiscum. Similiter ‚quare etiam': Pert. 3,1. Get. 5,8. Diad. 2,7. Maxim. 10,4; nec non apud Vopiscum: Aurel. 18,5 et Firm. 1,4[3]). — Silentio non

[1]) Madvig l. l. p. 813.

[2]) Neue Iahrbücher f. Philol. & Paedagog. vol. 115 (a. 1877), p. 623.

[3]) Expressis verbis haec omnia commemoro, ne quis hunc usum uni Lampridio dandum esse cum Brocksio (p. 37) contendat. Ex exemplis enim, quae is vir doctus attulit, elucet eum non modo illud ‚etiam,' quod cum pronominibus relativis arte coniungendum est, significare voluisse, sed etiam

praetermittendum est hoc quod ,quin etiam' plerumque non primum in sententia quadam locum tenet, sed non secus atque simplex ,etiam' vocabulo premendo postponitur, cf. Marc. 17,4: gemmas quin etiam. Ver. 5,3: coronas quin etiam datas. Carac. 8,4: egisse quin etiam. Macr. 12,1: incusans quin etiam. Praeterea cf. Diad. 7,3. Alex. 48,5. Maxim. 6,3. Gord. 20,1. Max. & Balb. 2,2. Tyr. 28,2. Aurel. 2,1. 4,3. 22,2. Prob. 8,1. 11,4. Contra non plus quinque locis ,quin etiam' praemittitur: Avid. 11,1. Alb. 12,11. Tyr. 29,1. Tac. 1,6. Prob. 8,3.

Restat ut pauca dicam de corresponsione, quam solemus appellare. Nusquam occurrit que — que; neque enim apud Pollionem Tyr. 24,2 hoc statuendum esse facile perspicitur. Multo melius is locus mea quidem sententia audietur priore ,que' extincto, ut legatur: et cum multa Tetricus feliciter [B¹P feliciterque] gessisset diuque imperasset. Ceterum iam in codice Bambergensi ab altera manu recognito prius ,que' deletum est. — Pro ,nec—nec' aliquotiens reperitur non — nec: Avid. 8,2. Alb. 9,2. 13,5. Alex. 15,3. Aurel. 36,3, alibi. Huc eodem pertinet cum - tum; ,etiam' ad ,tum' adiectum est Marc. 17,2. Maxim. 29,7. Car. 7,1. 9,4; ,praecipue' additum est Diad. 3,4. ,Tum-tum' frustra quaeres. Usurpatur tam—quam a Pollione (Gall. 11,9. Tyr. 9,3. 21,7) et a Vopisco (Aurel. 2,1. Prob. 3,1. 24,5); praeterea his locis: Comm. 16,5. Heliog. 6,1. 33,8. Alex. 3,1. Accedit non tam — quam: Diad. 7,1. Valer. 3,1. Tyr. 32,8. 33,8. Prob. 2,7. Nunc - nunc extat Pert. 8,6. Macr. 2,1. Maxim. 22,6. Gord. 19,1. Car. 1,1.2. — Ad extremum mentionem facio loci cuiusdam, ubi qua — qua pro ,et—et' singulas copulat voces; Vopiscus enim scripsit Aurel. 19,6: agite igitur, pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua vestitu animisque sacris commodi.[1])

2) Nunc in quaestionem vocentur oportet coniunctiones disiunctivae aut, vel, ve, sive, ad quas multo minus temporis conferri licet, praesertim cum nihil sit cur multus sim in tractandis illis simpliciter scriptis. Cum correctionem tum cumulum affert sententiae ,vel etiam' Comm. 5,13: et

illud, quod ad verba insequentia pertinet. Attamen inveniuntur talia exempla permulta; nam non tantum ,unde etiam' et ,quare etiam' frequentantur, verum etiam pronomina relativa cum ,etiam' coniuncta passim extant: Marc. 3,4: cui etiam Maxim. 24,7: qui etiam. Gord. 21,4: quorum etiam scientia. Max. & Balb. 11,3: qui etiam. Gallicanus quoque Avid. 6,6 habet ,qui etiam'.

[1]) Depravata sunt verba Vopisci Prob. 22,1: ducibus quasi fortes clementes, qua prudentes, qua mirabiles extiterunt. Nec placet mihi Peteri emendatio ,ducibus qua fortes qua clementes'..., quia per ,qua — qua' singula tantum verba coniungi possunt nec totum enuntiatum ex hac particula pendere potest. Praefero lectionem editionis principis ,ducibus qui — qui — qui ...", quamquam ne hanc quidem genuinam esse non ignoro.

nonnulli . . . spoliati sunt vel etiam interempti. Praeter consuetudinem ,vel' a Lampridio Diad. 7,1 et Heliog. 15,3 in complexionibus negativis posita est.[1]) Raro ,ve' verbis adhaerescit: Macr. 7,8. Alex. 32,1. Gord. 21,4. Haud raro hi scriptores particula ,sive' utuntur, si de nomine cuiusdam hominis haesitant: Macr. 9,1 et 4 ,Maesa sive Varia'; Gord. 10,1. 19,9. 22,1. Max. & Balb. 11,1. 15,1 ,Maximus sive Puppienus' vel ,Puppienus sive Maximus'. Item Pollio Gall. 14,4 ,Ceronius sive Cecropius'; Tyr. 5,3. 6,3. 24,1. 31,1: ,Vitruvia sive Victoria'. Pariter Pollio etiam ,vel' ponit Tyr. 22,7, incertus, utrum Alexander an Alexandrinus vocatus sit Aemilianus. — De usu particularum disiunctivarum correlative, ut hac voce utar, positarum haec scire interest. Maxime exiguus est numerus eorum locorum, ubi a u t — a u t extat, prae multitudine eorum, quibus v e l — v e l praebetur. Cuius rei causa quae sit, re penitus explorata luce clarius est. Saepe enim ,vel—vel' non modo pro ,aut—aut' scriptum est (cf. Marc. 15,5. 17,5. 26,5 etc.), maxime in sententiis negativis (cf. Ver. 9,7. Comm. 2,7. Pert. 14,10. Sev. 6,8. Gord. 12,2 etc.), sed etiam pro ,et—et' frequentatum est, qui usus animadvertitur in vitis potissimum Gordianorum: 1,2.3. 7,4. 14,7. 19, 2. 26,3. 32,7. Similiter, ut alios omittam, Pollio scribere solet, cf. Valer. 1,2. Gall. 5,5. Tyr. 2,3. 8,4. Hoc certe constat ,vel—vel' passim inveniri; contra quaeras frustra in multis vitis ,aut—aut'. Neque enim hoc extat in vitis Iuliani, Caracalli, Getae, Diadumeni; quin etiam a Pollione omnino vitatur. Aliter res sese habet apud Vopiscum, qui, si numeri rationem habemus, pari modo ,aut—aut' et ,vel - vel' ponit, quamquam is quoque ,vel—vel' pro ,et—et' scripsit, cf. Saturn. 10,1. — S i v e — s i v e singula vocabula seiungere solet praeter unum locum Alex. 47,3: reddens inpendia, quae fecissent, sive convaluissent illi seu perissent. Coniunctivo idcirco auctor utitur, ut illud identidem factum esse ostendat.[2]) —

3) Transeamus nunc ad coniunctiones a d v e r s a t i v a s, quarum primam s e d leviter tantum attingere satis esto. Nimium tribuit ingenium oratorium Draegerus his scriptoribus, qui ,sed' per figuram repetitionis ab eis usurpatum esse credidit.[3]) Ex sententia enim eius haec figura duobus locis, Avid. 13,10 et Diad. 4,3, comprobatur. Dissentio; priore enim loco iam Mommsenus, Eyssenhardtius, Boxhornius verba huc pertinentia

---

[1]) Quod iam Brocksius l. l. p. 37 commemoravit.

[2]) Quae dicendi ratio etiam apud Livium 21,36,7, Tac. ann. 4,60, Suet. Iul. 57 occurrit, quos locos Draegerus II 144 adnotat.

[3]) Draeg. II 94.

sanare studuerunt, quae ita tradita sunt: qui (Cassius Avidius) si optinuisset imperium, fuisset non modo clemens sed bonus sed utilis et optimus imperator. Delevit Mommsenus omnino verba ‚sed bonus'; auctore autem Boxhornio, quocum Eyssenhardtius consensit, Peterus ‚et bonus' scripsit; quae scriptura meo quidem arbitratu vera est literaque s praecedente facile potuit depravari. Quomodo autem Diad. 4,3 huc referendum sit, nullo pacto intellego; ἀναφορά enim, quae vocatur, hoc loco statui non potest.[1])

Semel, quod meminerim, autem locum eius particulae tenet, de qua modo diximus; legimus enim Ver. 7,1: ipse quidem se luxuriae dedit, duces autem confecerunt Parthicum bellum. ‚Autem' nonnumquam tertio laco scriptum est, non modo si praedicatum, quod vocare solemus, formam verbi ‚esse' continens praemissum est, id quod occurrit Comm. 1,10 (appellatus est autem), Pert. 4,7 et 8, Carac. 7,1, Maxim. 4,4, Max. & Balb. 15,5 (tanta est autem), sed etiam his locis: Sev. 22,2 ‚cum vereretur autem', Maxim. 27, 2 ‚ut aliqui autem dicunt', Gord. 4,7 ‚ut plerique autem adserunt'; hac verborum collocatione vox inter coniunctionem et hanc particulam interposita vi quadam afficitur. Loco unius vocabuli habendum est ‚patris patriae' in v. Marci 9,3; item Max. & Balb. 13,1 ‚senatus consulti'.

Ea vero particula, qua omnes vitae abundant, est tamen, qua voce non modo gravis responsio exprimitur, sive enuntiatum concessivum antecedit sive supplendum est, sed etiam aeque ac per ‚autem' exigua vi aliquae res inter se opponuntur, cf. Marc. 14,4. 25,3. 28,2. Iul. 7,3. 8,8 etc. Quin etiam ad tantam licentiam progressi sunt hi scriptores, ut eam coniunctionem pari modo atque ‚autem' usurparent ad continuandam narrationem singulasque res nectendas, cf. Hadr. 9,1. Marc. 14,1. Ver. 7,6. Max. & Balb. 15,2. Gall. 12,6. 18,1. Tac. 2,3. 3,1. Firm. 4,1 etc. etc. Atque dedita opera hanc particulam voculas quasdam sequentem faciunt; habes enim, ut exempla afferam — nam omnes locos enumerare longum est — ‚ita tamen': Marc. 5,1. 11,4. 12,10. Comm. 14,8. Alex. 37,2; ‚nunc tamen' et ‚tunc tamen': Hel. 4,5. Comm. 5,6. Max. & Balb. 10,2. Bon. 15,7; ‚postea tamen': Marc. 9,1. 25,12. Alex. 26,3. Post

[1]) Praecedente negatione particula adversativa omissa est Gord. 12,3: ita ut non scribae non servi publici non censuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarumque conplerent. An re vera putare nobis licet Capitolinum tam grave asyndeton sibi vindicasse? Tantam oratorii ingenii affectationem, tantas argutias in illo auctore fuisse nego. Qua de causa post ‚interessent' particulam ‚sed' inserendam esse arbitror, quae ante ‚senatores' facile evanescere potuit. Ad haec cf. Gord. 20,6 et Tyr. 26,7.

pronomina demonstrativa saepissime ‚tamen' positum est: Hadr. 15,2. Hel. 3,7. Comm. 6,2. 17,11. Iul. 6,6. Carac. 11,5. Diad. 8,2. Alex. 60,8. Maxim. 20,4 etc.[1]) Quin etiam ‚non tamen' invenitur Hel. 5,8. Ver. 9,2. Alex. 58,3. Gord. 18,4 etc. Collocata est haec particula plerumque in altero, nonnumquam in primo et tertio, semel in quinto loco, cf. Comm. 13,5: Victi sunt sub eo tamen, cum ille sic viveret, per legatos Mauri. Hunc locum ‚tamen' fortasse accepit, ut cum enuntiato concessivo arte coniungeretur. An vero verba ‚sub eo' pro insiticiis habenda atque tollenda sunt?

Nihil est quod de particulis vero et verum multa verba faciam; illa passim invenitur, haec cum in aliis vitis tum praecipue in Aureliani: 24,3. 25,5. 31,3. 37,6. 40,3. ‚Verum' eodem modo usurpatur quo ‚sed'; memoria tamen teneo ne unum quidem locum, quo utraque coniunctio ita occurrat, ut ‚verum' superiorem in verborum ordine gradum, ‚sed' inferiorem obtineat, praeter Alex. 62,5: nam et gladio barbarico et scurrae barbari manu, verum non in bello sed belli tempore perit. Contrarium sane saepius reperitur[2]) nec tamen apud scriptores h. A.

In libris manu scriptis at nonnumquam eandem speciem praebet ac praepositio ‚ad', cf. Diad. 4,3. Aurel. 42,6. Tac. 8,5; attamen excepto uno loco Macr. 12,3 semper ‚adtamen' scriptum est, cf. Max. & Balb. 7,2. Aurel. 41,15. Tac. 6,1. Prob. 7,3. Bon. 15,9.[3])

Est huius loci etiam in duo adverbia inquirere, contra et immo, quorum notio proxime ad vim harum coniunctionum accedit. Extat vero non modo simplex ‚contra', ubi res acriter inter se opponuntur, ut Carac. 11,4. Alex. 49,6. Gord. 19,9. Firm. 2,1, sed etiam cum voce propinquae significationis copulatum occurrit Iul. 9,2: fuit ‚autem contra' humanissimus ad convivia; et Alex. 48,7: contra autem. Quamquam nimiam licentiam Eyssenhardtius Vopisco assignat cum Firm. 1,3 ‚atqui contra' scripsisse ratus, praesertim cum ‚atqui' vox ab his scriptoribus prorsus aliena sit. Hoc sane concedendum est verba tradita ‚atque contra' medella egere, sed quia melioris coniecturae mihi in mentem non venit, facere non possum, quin scripturam editionis principis revocem ‚at contra', quam etiam Aurel. 42,6 legimus. Immo ex usu optimo

---

[1]) Copiosior sum, ut appareat hunc usum prorsus nihil valere ad distinctionem scribendi generum statuendam, id quod Brocksius p. 36 non perspexit.

[2]) Cf. Cic. de or. 1,60. Tac. ann. 6,22. 11,27 etc.

[3]) Haec scire magni momenti est ad recte emendandum, cf. Tac. 8,5, ubi verba depravata ‚ad salutem' tradita sunt pro ‚ad(= at) saltem.'

ab omnibus scriptoribus h. A. sic adhibetur, ut aliquid corrigatur ac maiora substituantur. Est autem locutionis non emendatae pro ,immo vero' ponere ,immo etiam', quod extat Sev. 21,9. Gord. 14,1. Aurel. 48,4 et ,immo potius' quod Lampridius Heliog. 8,5 usurpavit.

Ex iis formulis, quae correspondsionem continent, longe usitatissima est non solum — sed etiam, qua neglecta Vopiscus Car. 9,4 non solum — sed. quoque scripsit[1]. Quoniam autem hi scriptores pro ,etiam' libenter ,et' ponunt, invenitur quattuor locis etiam non solum — sed et: Sev. 23,2. Get. 6,7. Heliog. 10,4. Tyr. 15,7. Huc accedunt non solum — verum etiam: Carac. 8,4. Alex. 17,4. Gall. 13,3. Tyr. 6,1, et non tantum — sed etiam: Maxim. 1,3 et Tac. 12,1. ,Non modo — sed etiam', quod meminerim, nusquam occurrit, quamquam extat Max. & Balb. 17,7: non modo — sed ne. quidem. ,Etiam' omissum est, sed eadem augendi vis remansit in his formulis: non solum — sed: Hadr. 18,1 et Maxim. 13,6, non modo — sed: Avid. 13,10, non tantum — sed: Heliog. 6,7. Praeterea ne quid lacunosum afferam, referri opus est — id quod iam Plewius commemoravit — Capitolinum Maxim. 8,2 posita in priore membro sola negatione scripsisse: ut milites non virtute regeret sed etiam seq. Restat, ut mentionem faciam verborum Gallicani Avid. 9,1: Antiochensibus, qui Avidio Cassio consenserant, sed et his et aliis civitatibus, quae illum iuverant, ignovit. Hoc loco correspondsionem obscuratam contineri censet Draegerus[2]), ut subaudiatur: non modo Antiochensibus . . . sed et aliis civitatibus ignovit. Hac igitur sententia recepta verba ,et his' exstinguenda sunt, id quod mihi quidem non magis probatur quam Peteri scriptura, qui ,sed et his' delevit. Equidem sequor Iordanum, cui post ,consenserant' quaedam excidisse persuasum est.

4) Iam vero tractandae sunt causales particulae; ac primum quidem de nam quaeramus. Cum apud alios tum apud scriptores h. A. multi loci occurrunt, ubi ,nam' per brachylogiam quandam explicandum est. Ut exemplum afferam, Maximinus secundum Capitolinum Maxim. 18,1 haec: ,Afri', inquit, ,fidem fregerunt, nam quando tenuerunt?' Quid? Nonne suppleri necesse est haec fere: hoc non miror, scl. Afros fidem fregisse? Sed omittamus haec, quoniam a tali dicendi ratione ne optimi quidem auctores abhorrent; ad graviora

---

[1]) Magno in errore versatur Plewius, qui p. 34 negat Vopiscum umquam ,non solum' scripsisse.

[2]) Draeger l. l. II 106.

animum intendamus. Multis enim locis particula ‚nam' videtur frigere, quod sententia quae antecedit nec causis aut argumentis firmatur neque ullo pacto explicatur. Quamquam culpam nonnumquam in librariis haerere veri simile est, qui saepenumero neglegenter describentes verba contaminabant; tamen is qui altius res perspexerit causasque diligentius perscrutatus erit, cognoscet cum alias particulas tum ‚nam' originem saepe inde trahere, quod auctores fontes carptim compilaverint atque temere et inconsiderate excerpserint[1]). Hinc factum est, ut a Spartiano Hadr. 15,3 ‚nam' poneretur etsi sensu prorsus carens; qua re impulsus Peterus illud tollendum atque ‚etiam' substituendum esse censuit. Equidem vero putem, quoniam omnes codices hoc loco consentiunt, re vera ‚nam' ab auctore neglegenter fontem excerpente scriptum esse. Praeterea Pi. 3,3 ‚nam' invenitur, quamquam nulla particula opus est, quia haec verba antecedunt: in proconsulatu etiam ‚sic' imperii omen accepit. Quomodo interdum sententiae inter se commixtae sint, ex Marc. 25,11—12 patet: ‚denique noluit Antiochiam videre, cum Syriam peteret. nam nec Cyrrum voluit videre, ex qua erat Cassius. postea tamen Antiochiam vidit.' Quis est qui infitietur narrationem confusam ac perturbatam esse medio enuntiato interposito? Accedit quod omnino non liquet, quidnam particula ‚nam' sibi velit. Intuere § 4 eiusdem capitis: iam intellexeris ibi quoque ‚nam' vitiosum esse. — Quid quod illud ‚nam', quod Macr. 9,2 occurrit, quasi in vano pendet; neque aliter iudicandum est de particula ‚sed', quae eodem loco sequitur, quippe cum desit enuntiatum, quod sententiam complectatur contrariam. Similes difficultates continent Maxim. 9,1 et Max. & Balb. 9,3; illo enim priore loco ‚itaque' sive alia conclusionis particula multo aptius fuit quam illud ‚nam'; altero loco mea sententia ellipsis statuenda est atque haec fere, ut ante vocem ‚nam' suppleatur: studuit enim Balbinus seditionem sedare. Itaque Kellerbauero[2]) non adstipulor, utpote qui particulam concessivam ‚quamquam' ad sensum magis convenire censuerit. — Noli vero putare vitas a Pollione et Vopisco conscriptas locis pari modo corruptis vacare, vacare particula ‚nam' inepte posita. Illis enim verbis, quae Pollio Gall. 4,5 scripsit ‚nam per annos septem Postumus imperavit' seq., tota narratio perturbatur, quoniam verba quae antecedunt arte cohaerent cum eis quae in paragrapho sexta sequuntur. Nec facere possum, quin Hudemanni coniecturam improbem, qui voce ‚nam' in ‚iam' mutata locum sanatum esse credidit[3]).

[1]) Cf. Kellerbauer l. l. p. 632—633.
[2]) Cf. Kellerbauer l. l. p. 642.
[3]) Cf. Philol. IX (1854) p. 191.

Immo vero ,nam' retinendum est, qua particula cum alibi tum hoc loco incuria auctoris aperte ostenditur. Vopiscus quoque Aurel. 41,13 ,nam' posuit, ubi hanc particulam sensui repugnare satis constat. — Sed, ut iam supra dixi, culpam in librarios nonnumquam conferendam atque particulam ,nam' depravatione ortam esse veri simile est. Exempli causa commemoro verba Capitolini Maxim. 27,2—3: ,(Maximinus iunior) litteris et Graecis et Latinis inbutus ad primam disciplinam. nam usus est magistro Graeco litteratore Fabillo'. Quam facile ,nam' hoc loco in textum irrepere potuerit, est manifestum; cum Cornelisseno[1]) enim suspicor illud syllaba extrema vocabuli ,disciplinam' geminata ortum esse. Certe multo melius verba ,ad primam disciplinam' ad eam sententiam quadrant, quae sequitur, ut sic legatur: ,inbutus. ad primam disciplinam usus est' seq. — Attamen id etiam atque etiam moneo, ne nimis saepe particula ,nam' quamvis absurde dicta deleatur. — Apud unum Vopiscum n a m q u e invenitur, quod Firm. 5,2 in initio enuntiati positum est, Aurel. 40,2 et 42,2 alterum tenet locum; sequitur vero semper vox a consonante initium capiens.

Maxima ex parte usus particulae e n i m bonae latinitati respondet. Non insoliti sunt loci tales, ubi ,enim' scriptum est tertio loco: Ver. 4,3 ,iam primum enim', Macr. 5,8 ,retentus est enim', 6,2 ,tunc demum enim', similes. Paulo audacius nec tamen prave Vopiscus dicit Tac. 3,7 ,aut accipiet enim', nam cum vi quadam verbum scriptum est. Praeter ,neque enim' etiam ,non enim' haud raro occurrit, ubi illud desideratur. Commemorentur exempli gratia loci, quibus ,non enim quisquam' praebetur: Avid. 11,5. Pesc. 9,1. Macr. 1,2. Invenitur praeterea Macr. 10,6 ,non enim aliquid', quamquam haec verba graviter non videntur dicta esse; legimus Avid. 12,5 etiam ,non enim umquam'. Amavit fortasse Gallicanus hanc coniunctionem particularum ,non enim', quippe quae in vita Avidii quamvis brevi ter (10,2. 11,5. 12,5) extet. Quamquam raro ceteri scriptores ea utuntur, numquam Pollio. — Nusquam e t e n i m nisi apud Vopiscum Aurel. 41,14 reperitur nec tollendum est, etsi codicum auctoritate non satis defenditur.

Inter causales particulas etiam enim vero numeremus oportet, qua voce hi scriptores non modo gravissime affirmant, sed etiam causam alicuius rei adiungunt; nam eandem notionem illi tribuunt, quae in verbis ,re enim vera' inest. Sic illa accipienda est apud Pollionem Gall. 1,1 et apud Vopiscum Prob. 12,3 et Tac. 6,4; nec non his locis occurrit: Pert. 11,5 et Macr. 3,4.

---

[1]) Coniectanea Latina, Daventr. 1870, p. 62.

5) Cum iis coniunctionibus, quas modo tractavimus, artissime coniungendae sunt coniunctiones conclusivae; atque ut ab illa incipiam, qua ex usitatis particulis nulla invenitur rarius, itaque nisi Pesc. 4,2 primum locum non obtinet. Tribus enim locis, Get. 1,6, Macr. 12,5, Heliog. 16,3, vox illa enclitica adverbio ‚ita' adhaeret. Secundo loco est scriptum ‚itaque': Maxim. 22,4. Gall. 15,2. Aurel. 28,4. Prob. 10,8. Quin etiam Vopiscus quoniam illud non secus atque ‚igitur' adhibuit, Car. 5,2 scripsit: Gaudendum est itaque.

Multo saepius occurrit ergo, quod hi auctores omnes nullo fere discrimine et plerumque eodem sensu atque ‚igitur' modo primo modo secundo ponunt loco, cf. Hadr. 11,2. 23,11. Hel. 2,6. 6,7 etc. Tertium tenet locum Marc. 5,6 ‚octavo decimo ergo aetatis anno' et Gord. 12,4 ‚factum est ergo'.

Longe usitatissima particula est igitur, quae quamquam in vitis Hadriani Helii Pii Getae omnino non usurpata est, tamen imprimis apud Gallicanum et Capitolinum — in vitis utique huic tribuendis — et apud Pollionem et Vopiscum sescenties extat. Bis, Ver. 1,3 et Heliog. 1,4, in initio enuntiati cum gravitate positum et utroque loco post exordium scriptum efficit ‚igitur' transitionem ad ipsam narrationem. Legitime accepit tertium locum praemisso praedicato: Gord. 27,8. Tyr. 12,12. 30,24. Tac. 9,1. Atque etiam his locis pariter collocatum est: Alb. 11,1 ‚et istae igitur epistulae' et Gall. 3,3 ‚totius prope igitur orientis'. Dupliciter copulavit Vopiscus Aurel. 27,5 ‚quodsi igitur'.

Iam vero procedamus ad eas particulas conclusivas, quae a pronominibus duxerunt originem; neglegendi vero sunt omnes loci, ubi illae particulae non ad sententias coordinandas — sit venia verbo! — usurpatae sunt, sed ad proximum enuntiatum aut causale aut finale quod vocatur spectant. Admodum raro rerum scriptores superiorum temporum adverbio ideo cum particula quadam copulativa coniuncto utebantur ad conectendas sententias, ut Caesar b. g. 3,11: atque ideo ad Pompeium contendit. Hanc eandem copulandi rationem h. A. scriptores saepe sibi sumpserunt; scripserunt enim ‚atque ideo': Hadr. 15,2. 22,14. Pert. 12,8. Sev. 8,13. Pesc. 1,1. Carac. 8,4. Get. 2,9. Maxim. 6,6. 7,5. Max. & Balb. 10,8. Habes etiam semel ‚et ideo': Alex. 46,1. Nec dubitandum est quin apud hos scriptores vice dictionis ‚atque ideo' functa sit haec atque adeo, quamquam Reisigius[1]) ‚adeo' ullo loco in

[1]) Vorlesungen § 274: Adeo wird nie gebraucht, um zu folgern, ausser bei Heyne, der es mit ideo verwechselt. Wo es mit dem Scheine des Folgerns vorkommt, da ist es entweder wie bei Cic. p. Caec. § 87 ‚id adeo si placet considerate', wo es ‚noch dazu' ‚obendrein' heisst; oder es steht in einem Epiphonema, wo in einem hohen Grade einer Sache eine Folgerung dargestel wird, z. B. in Verbindung mit non und nihil.

conclusionibus usurpatum esse negavit. Imprimis Pollioni et Vopisco, qui ,atque ideo' respuunt, illud arridet, cf. Tyr. 29,3, ubi particula ,etiam' subsequens indicat ,atque adeo' prorsus discrepare a solita notione, Tyr. 12,9. Tac. 11,5. Sat. 7,4. Proc. 12,1. Nec non his locis illud extat: Pi. 1,9 et Alex. 18,2.[1]) Sed neque ,ideo' neque ,adeo' ullo loco sic occurrit, ut codices exhibent Aurel. 31,3: verum adeo Aurelianus, ut erat paratus, e Rhodopa revertit. Aperte repugnat particula adversativa conclusivae: alteram tollendam esse constat. Quae cum ita sint, veram scripturam hanc fuisse censeo: verum ,ad eos' (scl. ad Palmyrenos) Aurelianus . . . e Rhodopa revertit. Antea enim Vopiscus Palmyrenos fide violata rebellasse narraverat. — Bis idcirco usurpatum est praemissa particula ,atque'. Legimus enim Pi. 4,2: eo Arrius Antoninus soceri vestigia levans venit atque idcirco ab Hadriano dicitur adoptatus; et Marc. 9,5: dicebant Marcum velle finiti belli gloriam sibimet vindicare atque idcirco in Syriam proficisci. — Item bis particula relativa quocirca: Gord. 8,3 et Max. & Balb. 17,3. — Per ,propterea' nusquam sententiae ita coniunguntur, ut notio existat conclusiva. Quam ob rem ne Peteri quidem coniectura probari potest, quam Aurel. 2,2 cepit: ,Propterea scribe', inquit, ,ut libet'. Immo vero cum Eyssenhardtio codicum auctoritate servata ,praeterea' legendum esse existimo, ut scribatur: praeterea: ,Scribe', inquit, ,ut libet'. — De voce ,hinc' verba facere non meum est, quae a Draegero inter particulas conclusivas numeratur; paucis enim illis locis, Maxim. 3,6 (hinc igitur), Gord. 29,3, Pert. 6,11, origo et causa per ,hinc' respiciuntur ita ut haec vocula idem valeat atque ,hac re'. Nec quicquam est cur de particula ,inde' dicatur; at contra usu receptae sunt dictiones relativae unde et quare, quae etiam ipsae conclusionem efficiunt, quas cum particula ,etiam' coniunctas saepe occurrere iam supra (p. 33) docui. His potissimum particulis utitur Spartianus ad copulandas sententias; quinquies enim, ut exemplum afferam, in vita Hadriani ,unde', sexies ,quare' ponit[2]) Lampridio vero ,quare' videtur non placere, nam numquam occurrit in vita Heliogabali nec reperitur in vita Alexandri. De dictione ex quo, quae ipsa quoque in numerum harum particularum referenda est, iam supra (p. 22) disserui. Liceat mihi etiam ob hoc in medium proferre,

[1]) Viri doctissimi temporis recentioris etiam ipsi hanc loquendi rationem interdum sibi sumpserunt. Heynius quidem saepissime ,adeo' in conclusionibus posuit, nonnumquam etiam Ruhnkenius (Elog. p. 229), Valckenarius (Oratt. p. 236), Ernestius (in epist. ad Stiglitium).

[2]) Unde: Hadr. 3,5. 7,3. 11,5. 20,8. 21,3. Quare: Hadr. 2,2. 3,7. 5,3. 7,2. 23,16. 27,4.

quae verba non modo ita usurpantur, ut ad enuntiatum quod sequitur pertineant, sed etiam copulandi causa non secus atque ,ideo' adhibentur. Huic quoque dictioni ,atque' praemittitur; habes ,atque ob hoc' Hadr. 3,3. Sev. 9,10. Carac. 8,3. Alex. 63,5. Gord. 28,5. Absolute positum est: Hadr. 3,10. Marc. 7,3. Sev. 16,3. Pesc. 2,3.

6) Duae denique particulae in quaestionem vocandae sunt, quarum utrique concessiva notio haud raro tribuitur; utraque vero apud scriptores h. A. plerumque in alium usum abiit. Altera est quidem, cui si concessivam vim induit variae particulae adversativae respondent. Omissis locis, ubi singula tantum vocabula inter se opposita sunt, occurrit ,quidem — sed': Alb. 9,2. Alex. 13,1. 22,8. Gord. 1,1. 9,2. Aurel. 50,4; ,quidem — sed tamen'; Maxim. 29,4; ,quidem — attamen': Alex. 66,2 et Bon. 15,9; ,quidem — vero': Marc. 19,4. Ver. 4,2. Avid. 14,4. Praeterea autem ,quidem' ad vim pronominis relativi aut alius dictionis relativae augendam usurpari solet. Extat exempli causa ,quod quidem' his locis: Hel. 7,3. Pi. 2,3. Marc. 16,7. 19,6 etc.; ,quo quidem tempore': Hadr. 2,8. 12,5. Marc. 16,2. Get. 6,6. Prob. 5,2.4; ,quando quidem'[1]): Hadr. 3,3.6. 23,9. Marc. 13,4; ,cum quidem'[1]): Hadr. 9,5. Hel. 4,4. Sev. 11,2. Pesc. 3,1. Bon. 15,2. De copulativa coniunctione ,et quidem' iam supra (p. 30) disputavi. — Altera particula sane concessiva notione apud hos scriptores prorsus caret; instar enim habetur coniunctionis copulativae nec certam notionem prae se fert. Noli vero putare hunc vel illum scriptorem usui huius particulae maxime indulsisse, id quod ex Plewii verbis[2]) colligi potest; immo pari modo ponunt illam omnes scriptores, sed in nonnullis vitis saepius quam in ceteris. Saepe enim Spartianus illa utitur in vita Severi, raro in vitis Hadriani (bis) et Helii (semel), raro Lampridius in vita Diadumeni (semel), saepe in vita Heliogabali. Interest autem scire, ubi ,sane' creberrime occurrat; invenitur decies in vita Marci: 5,2. 12,6. 15,2. 18,4. 19,10. 21,6. 22,3.5. 23,9. 29,4; novies in v. Pertinacis: 3,5. 5,5. 6,3.6. 7,2. 8,2. 9,8. 11,13. 12,8; septies in v. Severi: 8,12.15. 10,1. 12,5. 15,1. 16,7. 21,12; sexies in v. Heliogabali: 7,4. 20,7. 22,1. 26,7. 28,5. 29,8.[3]) Collocatum est ,sane' plerumque loco secundo; tertium tenet pariter atque ,autem' ,enim' ,igitur', si praedicatum e duobus vocabulis constans praemittitur: Marc. 23,9. Comm. 15,8. Gord. 13,7. Aurel. 18,3.

---

[1]) De relativa vi huius dictionis cf. p. 49—50.

[2]) Plew. l. l. p. 35.

[3]) Hoc loco me non illud ,sane' quod hominis affirmantis est, spectare est consentaneum; quam ob rem omisi Sev. 21,2 et Marc. 18,5.

Nonnumquam in initio enuntiati positum est; quod quidem Capitolinus fecit hoc consilio, ut narratione vitae alicuius iam ad finem perducta aliquid addendum esse indicaret, quod omitti non liceret, cf. Maxim. 29,5—6: ‚De quo (scl. de Maximino iuniore) nos nihil amplius habemus dicere. Sane ne quid praetermissum esse videatur' seq. Similiter Gord. 21,5: sane quod praetermittendum esse non censui seq. ‚et Maxim. 33,2: sane quod nullo in loco tacendum est. Similiter etiam Vopiscus Prob. 24,2 haec scripsit: ‚sane quod praeterire non potui.' Sed eum qui diligentius quaesiverit de consuetudine scribendi, quam hi scriptores sequebantur, non fugiet illis verbis res ex diversis fontibus haustas significari.

B. De coniunctionibus **subordinationem** efficientibus.

1) Ac primum quidem, quoniam a coniunctionibus consecutivis initium capere libet, nulla alia nisi ut consecutivum in quaestionem vocetur oportet, cum a voce ‚quin'[1]) omnes h. A. scriptores abhorreant. Sequitur igitur ‚ut' non modo illas dictiones ‚consuetudo est' (Marc. 15,1. Alex. 16,2) et ‚mos est' (Marc. 24,1), sed etiam post ‚morem habere' invenitur Comm. 15,4. Bis habes ‚morem trahere ut': Max. & Balb. 8,5 ‚Unde autem mos tractus sit ut' seq. et Gall. 20,4 ‚hinc tractum morem ut'. Nec Gord. 12,3 silentio praetermittamus, ubi legimus: hunc autem morem apud veteres necessitates publicae repperernnt, ut ... senatus consultum tacitum fieret. Loco illius dictionis ‚longe abest ut' occurrit Maxim. 30,7: ‚longe est ut' mihi iste succedat. — Proprium est horum scriptorum in fronte enuntiati consecutivi ‚ita ut' ponere, quod ex vulgari sermone haustum usque ad taedium frequentatur: in vita Alexandri occurrit septies et vicies, in v. Heliogabali quater decies, in vitis Gordianorum aeque multis locis, in v. Hadriani septies. Atque etiam saepe invenitur ‚ita ut', ubi voce ‚ita' omissa ‚tam' desideratur adiectivis praemissum, ut Alex. 44,1: in conviviis comis, ita ut quisque posceret quod vellet. Gord. 6,6: lavandi cupidus, ita ut et quarto et quinto in die lavaret aestate. 19,2: cibi parcus, ita ut intra punctum temporis... caenam finiret. Has voculas paene coaluisse elucet ex Hadr. 17,1: Quos in privata vita inimicos habuit, imperator tantum neglexit, ita ut seq. Quamquam igitur hoc loco in enuntiato antecedente ‚tantum' ad verbum finitum adiectum est, tamen

---

[1]) Haec vitata est etiam post ‚non dubium est', quam dictionem accus. c. inf. sequitur, cf. Alex. 57,3 et Tyr. 10,13.

‚ita ut' sequitur. Sane eodem paene studio ‚tantum' atque ‚ita' vel ‚adeo' in ore habebant nonnulli scriptores, si particulam quandam enuntiato consecutivo praemitti opus erat, cf. Maxim. 8,6. Gord. 4,7. 27,1 etc. Atque etiam Lampridius Heliog. 2,1 ita loquitur: Hic tantum Symiamirae matri deditus fuit ut. ‚Sic ut' raro offenditur: Hel. 3,9 et Heliog. 21,5. — Iam deflectat oportet disputatio nostra ad insolentem usum huius particulae ‚ut', quo specimen quoddam idiotismi praebetur; in locum enim infinitivi et accusativi cum inf. successit persaepe enuntiatum ab ‚ut' incipiens. Excitat autem hoc ‚ut' tale enuntiatum, quod vice fungatur aut subiecti aut obiecti ad sententiam principalem pertinentis. Illud frequentatur post dictiones, quae complectuntur copulam quam vocamus et adiectivum neutrius generis aut substantivum: Marc. 22,4 ‚aequius est (ut)', Pesc. 1,1 ‚rarum atque difficile est', 3,9 ‚miserum est', Alex. 11,3 ‚facilius fuit', 27,3 ‚satis esse,' 32,4 ‚nefas esse'[1]), 49,1 et Gord. 25,4 et Car. 10 ‚necesse est', Alex. 49,6 ‚melius esse', Tyr. 22,1 ‚familiare est,' Aurel. 31,1 ‚rarum est', 38,3 ‚fatale quiddam sit', Car. 3,7 ‚gratum esse'. Accedunt Marc. 24,2 et Alex. 43,1 et Gord. 11,1 et Tac. 3,1, ubi ‚interest ut' extat, quod etiam prioribus temporibus interdum admissum est, et Alex. 62,2, ubi ‚necessitas est' secum habet ‚ut': necessitatem esse ut gladio barbarico periret. Nec non omittendum est Tyr. 10,1: Fati publici fuit ut. Notabilis praeterea locus est Iul. 6,8: neque enim decebat, ut eundem Iulianum pateretur infestum. Plane eodem modo eademque notione, atque hoc loco ‚decebat', usurpatum est ‚dignum fuit' Prob. 24,8: non enim dignum fuit ut quadrigae tyrannorum bono principi miscerentur. Contra Pollio, qui ipse quoque ‚ut' ponit, Gall. 21,2 adhibet personalem, quae vocatur, verborum structuram: neque enim digni sunt eorum plerique ut seq. Similiter Tyr. 31,1: Non tam digna res erat, ut etiam Vitruvia sive Victoria in litteras mitteretur. In locum obiecti cuiusdam enuntiatum ab ‚ut' incipiens insolenter successit post verba declarandi, sed quoniam hanc quaestionem aptius ad coniunctiones finales servari existimo, paulo post eam instituam, ubi ad ‚ut finale' pervenero. Restat ut duos locos afferam, ubi ‚ut' explicandi notionem quandam prae se fert. Legimus enim Ver. 8,1: Fuit eius fati, ut... luem secum deferre videretur; et Bon. 14,5: habuit praeterea rem mirabilem ut seq.

2) Procedamus ad coniunctiones finales. Ut finale praemisso ‚ideo' occurrit Aurel. 14,2, praemisso ‚idcirco' Macr.

---

[1]) Contra ‚nefas esse' cum accus. c. inf.: Macr. 13,1.

3,8. Diad. 7,4. Alex. 40,10. 45,5. Maxim. 29,6. Tyr. 9,5. Claud. 10,7. Aurel. 43,5. Bon. 15,4, praemisso ‚ob hoc' Hel. 3,8. Avid. 14,7. Comm. 4,8. Heliog. 9,2. Gall. 2,2 nec tamen apud Capitolinum, qui bis ‚ad hoc' ponit: Gord. 3,2 ‚quae quidem ad hoc scripsit ut' et 10,2 ‚illos sane viginti senatus ad hoc creaverat ut'. Extat ne praemisso ‚ideo' Alex. 48,8 et Maxim. 33,4, praem. ‚idcirco' Ver. 7,7. Alex. 21,5. Maxim. 28,10. Tyr. 31,5. Flor. 15,5. Firm. 2,3. Carin. 18,5, praem. ‚ob hoc' Marc. 14,5 et Carac. 3,3. ‚Propterea ut' nusquam nisi Pi. 7,12 reperitur. Id quoque scire interest scriptores h. A. sive narrationem praecisuros sive ad aliquid novi transituros haud raro ‚ac ne' adhibere, cf. Pesc. 9,5: Ac ne quid ... praeterisse videamur. Aurel. 3,1. Tac. 8,1. Prob. 18,6. Rarius ‚et ne', cf. Alex. 1,4: et ne praeceps ista honorum continuatio videatur, exponam causas. Neque Sat. 11,1 aliter legendum est, ubi codices ‚ut ne' pro ‚et ne' exhibent. Quod attinet ad usum particulae ‚ut' e verbis pendentis, multa peccarunt hi scriptores, praesertim cum constructiones verborum saepe permutarent, id quod maxime comprobatur usu verborum praecipiendi atque iubendi et verborum faciendi atque statuendi. Ut igitur primum in haec statuendi verba inquiramus, nonnumquam infinitivum particulae ‚ut' cessisse constat. Quamquam si idem subiectum remansit, infinitivus sequi solet verba statuendi (Sev. 23,5. Macr. 13,1. Aurel. 10,3. 48,1.2. Carin. 17,6) et instituendi (Aurel. 10,2) et constituendi (Hadr. 23,10) et dictionem ‚in animo mihi est' (Hel. 1,1). Sed contra legem ‚ut' secum habet dictio ‚in animo habeo' Alex. 24,4. 43,4. Car. 7,3, pronomine ‚id' addito Hadr. 4,9; talis scribendi ratio etiam si aliud subiectum sequitur aegre ferri potest, cf. Pesc. 4,7 et Aurel. 46,1. Huc pertinet etiam Hadr. 4,8: Traiano id animi fuisse ut. Non incommode videtur hoc loco commemorari Alb. 3,4 ‚hunc animum Severo primum fuisse ut' seq., quae dictio est aevi posterioris. Mutato autem subiecto ex lege ‚ut' sequitur verba statuendi; qua de causa non improbanda est haec particula adhibita Gord. 1,1 ‚Fuerat quidem consilium ut destinarem', etiamsi concedendum est aliquid contorti in his verbis inesse. Satis idonea auctoritate defenditur ‚in animum inducere ut', quod Marc. 17,4 legimus. Sed peccavit auctor vitae Alexandri, qui particula ‚ut' neglecta scripsit 27,3: tum satis esse constituit. Utrumque pendet e verbo ‚placet': infinitivus: Max. & Balb. 4,5. Gall. 19,6. Bon. 15,7, ‚ut': Marc. 14,7. Maxim. 10,2. Gall. 1,3. — Verba faciendi modo ‚ut' modo infinitivum secum habent. Utrumque una est perspiciendum Alex. 10,7: ‚tu facies, ut senatus bene principes eligat. tu facies optimum esse iudicium senatus.' Similiter Claud. 17,3—4: ut cum facias a Grato et Herenniano

placari ... quae ut libenter accipiat, tu facies'. Recte usurpatum est ,ut' aut ,ne' cum aliis tum his locis post verbum faciendi: Gord. 11,7. Tyr. 12,11. Aurel. 9,2. Flor. 19,2 (fac). Prob, 5,5. Car. 4,7 (fac); post verbum efficiendi: Maxim. 23,4. Gord. 5,3. 27,3. 29,5. Tac. 8,5. Firm. 5,5. Infinitivus autem contra legem sequitur verbum efficiendi Claud. 1,2 et faciendi: Sev. 5,7. 14,3. Pesc. 7,1. Alb. 12,3. Carac. 2,4. Alex. 23,5. Maxim. 5,7 (fac). Gall. 3,5. 16,1. Tyr. 24,1. Claud. 8,2. Aurel. 31,9 (fac). Circuitu enuntiavit auctor Pesc. 5,4 haec: sane illud fecit proficiscens ut legiones ad Africam mitteret. — Sequitur ut de verbis iubendi et praecipiendi disseramus, quorum illud passim occurrit usu legitimo servato, cum ,ut' tamen coniunctum undevicies: Hadr. 16,1 (iubens ut). Marc. 11,4. 21,5. Sev. 5,5. 23,6. Pesc. 10,6. Alb. 2,1. Heliog. 13,5.6. 29,7. Alex. 26,3. 52,4. Maxim. 3,1. Gord. 29,6. Max. & Balb. 10,2.3. Aurel. 14,7. 19,1. Prob. 14,4. Ab omnibus autem scriptoribus post verbum praecipiendi insolenter accusativus cum inf. positus est et tricies quidem, in una Alexandri vita quinquies (15,6. 36,2. 39,9. 48,5. 59,4), in vita Severi quater (8,10. 11,9. 15,7. 22,5); semel tantum sequitur ,ut': Alb. 8,1, semel ,ne': Sat. 7,2. — Invenitur praeterea ,ut' sex locis, quibus et ipsis auctores a pura latinitate descivisse constat. Extat enim ,profiteri ut' Alex. 27,5, ,prohibere ut' Maxim. 28,7 (accus c. inf.: Hadr. 22,6. Pesc. 10,4. Alex. 24,2), ,cohibere ut' Tyr. 30,21, ,bene venit in mentem ut' Tyr. 20,1,[1]) ,ferre non posse ut' Tyr. 17,2 (accus. c. inf.: Tyr. 3,3), ,perpeti ut' Tac. 2,1 (accus. c. inf.: Prob. 20,2). — Sed ne Ciceroni quidem displicuit talis usus, qualem invenimus apud Vopiscum Aurel. 46,2 ,idem dederat facultatem ut' seq. et 46,3 ,dedit praeterea facultatem ut' seq. — Male neglectum est ,ut' post verbum monendi Pi. 3,5 et postulandi Claud. 11,5. Praeterea ut sino et patior, ita ,permitto' more Taciteo accus. c. inf. secum habet: Hadr. 8,8. Pi. 5,2. Alex. 24,2. Maxim. 12,6. 29,7. Claud. 7,6 (contra ,ut': Pi. 10,5. Marc. 17,6. Prob. 13,1. 18,8). — ,Ut' et ,ne' in sententiis, quae imperandi notionem continent, non modo post verba dicendi (Marc. 19,8. Alex. 18,2. Flor. 16,6[2]) et scribendi (Marc. 9,6. Gord. 14,6. Bon. 15,6) usurpata sunt, sed etiam post dictiones ,litteras mittere' (Maxim. 15,3 et Gord. 9,8), et ,litteras dare' (Maxim. 23,2). Ellipsis quaedam statuenda est Aurel. 18,5: ,inventumque (scl. praeceptum), ut in certis locis sacrificia fierent'. Exemplo verbi iubendi sexies invenitur ,addere ut'; has habes formulas:

---

[1]) Claud. 10,1 anacoluthon: Et bene venit in mentem, exprimenda est sors.

[2]) Cum Draegero (II 237) repudio sententiam Plewii, qui Vopiscum hoc loco audacissimum in modum ,ut' pro ,accusativo c. inf.' scripsisse censuit (diss. p. 47).

‚addens ut' Marc. 4,7 et Prob. 16,6 atque ‚addito eo ut': Pesc. 10,1.6. Alex. 1,3. Car. 6,3. — Videamus nunc, quibus locis ‚ne' sit neglectum. Iam Plewius[1]) exposuit ‚ut non' prave scriptum esse Marc. 28,1. Aurel. 11,6. Tac. 9,4. Firm. 1,4, prave ‚ut ... neque. neque' Aurel. 46,1. Idem docuit verbum iubendi ‚ut non' sequi Prob. 14,4, ‚ne' Pesc. 10,7 et Alex. 22,8; idem animum attendit ad Hadr. 18,2: ‚constituit ut in nulla civitate' seq. Sed omisit ille vir doctus tres locos, ubi ‚ut nemo' extat pro ‚ne quisquam'; occurrunt enim haec verba Alex. 18,2 non semel sed bis ac praeterea Pesc. 7,5 et 10,6. — Hoc quoque est obsoletioris sermonis praecedente coniunctione ‚ne' non per ‚neve' pergere, sed per ‚et', quod Pesc. 5,4 legimus, aut per ‚ac', quod Spartianus et simili loco Sev. 8,7 ponit et Ver. 7,7 et Hadr. 25,8. — Ut ‚quin', ita etiam ‚quominus' vox est ab his scriptoribus aliena. Hac vero occasione oblata, quandoquidem Cicero ‚non deesse quominus' usurpavit, commemoro verba Capitolini Gord. 31,2: nec defuit, ut senatus ... falleretur.

Coniunctionem q u o etsi raro tamen apud omnes h. A. scriptores praeter Gallicanum et Pollionem invenies, cf. Hadr. 7,3.6. Marc. 10,2. 11,2. Ver. 10,7. Alb. 11,1. Heliog. 23,5. Gord. 28,6. Aurel. 36,5.

3) Tertio loco agatur de t e m p o r a l i b u s coniunctionibus. Vitant hi scriptores quam maxime possunt illud cum, cui particula ‚tunc' aut praemissum est aut animo addendum. A Pollione, ni fallor, solo[2]) ‚tunc cum' scriptum est: Tyr. 3,5 et Claud. 12,2. Et his et alliis locis, ubi simplex ‚cum' vere temporale extat, indicativus ex lege sequitur, cf. Pesc. 5,1. Gord. 33,3. Coniunctivum tamen offendimus Iul. 2,3: eo die cum Iulianus ad Pertinacem venisset. Ea vero dictio, cui illi mirum in modum indulgent loco illius coniunctionis, est ‚eo tempore quo', quae verba passim inveniuntur: Marc. 17,2. Avid. 8,7. Comm. 2,2. 8,9. Alb. 6,2.8. Heliog. 7,8. 10,5. Maxim. 23,1. 28,4. Gord. 34,5. Claud. 6,1. 11,6. Aurel. 35,1.4. Prob. 5,6. Proc. 12,2. Car. 8,3. Prorsus in usum coniunctionis ‚dum' abiit ‚cum' apud Capitolinum Max. & Balb. 11,1: Cum haec Romae geruntur, Maximus ... bellum parabat. Amat Pollio dictiones ‚cum loquor' ‚cum loquitur' ‚cum loquimur', cf. Tyr. 20,1. 22,9.11. Quin etiam nihil aliud nisi locus significatur Tyr. 22,14: quod apud Proculum ... cum de peregrinis regionibus loquitur, invenitur. — Aliquotiens duo enuntiata ita coniuncta sunt, ut alterum mutato subiecto

[1]) Plew l. l. p. 48.

[2]) Illud enim ‚cum', quod Maxim. 22,5 habes, causam indicat.

tamen nulla alia voce nisi coniunctione ‚atque' excipiat prius quod initium a particula ‚cum' capit; deest igitur in altera sententia particula ‚cum', cf. Hadr. 11,6: ‚nam cum ad quendam scripsisset uxor sua . . . atque hoc Hadrianus per frumentarios cognovisset' seq. Similes loci sunt Hadr. 15,12. Hel. 4,2. 6,5. Pi. 10,4. Ver. 9,2. Sev. 15,7. Gall. 20,3. Proc. 13,2. Num. 14,2. Praeterea apud omnes h. A. scriptores loci inveniuntur, quibus vice illius ‚atque' in altero enuntiato similium complexionum ‚et' vel ‚que' vel ‚neque' fungatur, ut exempla e vitis Capitolini afferam, cf. Maxim. 3,3 et Gord. 16,2[1]). Quin etiam tria enuntiata mutatis subiectis similiter coniuncta extant Get. 3,5: cum in villa cuiusdam Antonini agnus natus esset . . . audissetque ille . . . ac de se ille augураretur seq. Cf. praeterea Alex. 53,2 et Diad. 8,4[2]). — Illud ‚cum' iterativum, ex quo apud Ciceronem indicativus pendere solet[3]), a rerum scriptoribus rarius adhibitum et cum indicativo et cum coniunctivo coniungitur. Apud scriptores h. A., qui illud frequentant, semper fere legitur coniunctivus imperfecti: Hadr. 8,6.9. 18,1. 22,3. Pi. 11,6. Alex. 34,6.7. Maxim. 24,7 etc., semel coniunct. praes.: Tyr. 30,5. Indicativum autem haec particula secum habet Marc. 10,7, ubi tamen in utroque enuntiato indicativus perfecti legitur; idem modus idemque tempus sequuntur vocem ‚quotiens' Ver. 5,3, sed coniunctivum imperf. post hanc vocem deprehendimus Comm. 11,11. Raro legimus ‚cum' explicativum cum coniunctivo coniunctum; dicit Vopiscus Firm. 4,3: incudem pertulit, cum (‚wobei') ipse reclinis ac resupinus . . . penderet potius quam iaceret. — Nolo omittere Diad. 6,4, ubi in usum certe memorabilem incurrimus. Ibi enim loco infinitivi subiectum indicatur enuntiato a ‚cum' incipiente: ‚sed aliud est cum praenomen adscitur, aliud cum ipsum nomen inponitur.'

Vice particulae ‚cum' fungitur quando; vertenda est igitur haec vox non modo per ‚wann', quae vis apud Pollionem Valer. 2,1, ubi ‚tunc' praecedit, et Claud. 15,3 atque apud Vopiscum Aurel. 13,4 extat, et per ‚damals als': Hadr. 4,7. 22,14. Sev. 23,4. Alb. 10,2. Macr. 4,1. 14,5. Gord. 20,4, sed etiam notionem particulae ‚cum' iterativae subiit Alex. 41,4 ‚argentum et ministros mutuos quando pascebat accipiebat ab amicis', ubi forma imperfecti offendimur. Nec neglegendus

---

[1]) Consulto hos locos cito, ut appareat Brocksii quaestionem, quam in diss. p. 28 de hac re habuit, mancam esse.

[2]) Omnes tres loci e vitis, quas a Lampridio conscriptas esse postea ostendere studebo!

[3]) Cf. E. Hoffmann: Die Construction der lat. Zeitpartikeln, Wien 1873, p. 77 seq. et p. 112. Ubi ille vir doctus docet a Cicerone plus quinquagies indicativum perfecti et plus vicies indicativum plusquamperf. positum esse.

est locus in eadem vita Alex 20,4: dies denique numquam transiit, quando non aliquid mansuetum civile pium fecit. Ubi vix aegreque ferri possunt particulae ‚quando non' cum indicativo coniunctae pro ‚cum non' vel ‚quin'. Solet apud hos scriptores haec temporalis coniunctio ‚quando' indicativum secum habere; ubi coniunctivus sequitur (Macr. 12,2 et Heliog. 14,5) alia notio hac voce continetur[1]). — Hac occasione oblata usum certe singularem commemorari opus est. Utraque enim vox, et ‚cum' et ‚quando', ab his scriptoribus notione relativa ita adhibetur, ut omnino pro particula demonstrativa ‚tunc' posita sententias artius coniungat. Qua re factum est, ut haud raro ‚quando quidem' et ‚cum quidem' eadem vi ac ‚quo quidem tempore' scriberentur. Affero exempli causa Hadr. 23,9: ‚Servianum . . . mori coëgit multis aliis interfectis vel aperte vel per insidias. quando quidem etiam Sabina . . . defuncta est' et Bon. 15,2, ubi Vopiscus de Bonoso sic loquitur: ‚laqueo vitam finivit; cum quidem iocus extitit amphoram pendere, non hominem.' Ceteros locos v. p. 43. Quod praeterea iam supra exposui (p. 33) particulam ‚etiam' dictionibus relativis saepe ascribi, similiter invenimus Diad. 6,8 ‚quando etiam' atque Maxim. 12,2 et Comm. 7,2 ‚cum etiam'. Relativa notio etiam Alex. 54,7 subesse mihi videtur, ubi ‚cum tamen' legimus[2]). Simplex ‚cum' relativam vim continet Gall. 13,7: Veneriano item duce navali bello Gothi superati sunt; cum (= et tunc) ipse Venerianus militari perit morte. Pari modo ‚cum' positum est Hadr. 3,8. Similiter ‚quando' usurpatum est: Hadr. 4,6. Comm. 1,9. Maxim. 30,2. Gord. 23,6.

Nisi in vita Pescennii (2,1 et 6,2) postquam non occurrit. Ne posteaquam quidem saepe invenitur in ceteris vitis praeter Marci et Veri, in quibus septies extat: Marc. 8,11.12. 12,7. 14,8. Ver. 5,6. 7,1. 4,5; hoc vero extremo loco ‚quam postea' praebetur. Gallicanus et Pollio hanc particulam prorsus aspernantur, Vopiscus semel (Aurel. 7,3) ponit. Habes autem eam, ubicunque scripta est, cum indicativo perf. coniunctam, quod tempus omnibus fere locis etiam post coniunctiones, quas per „sobald als" vertere consuevimus, servatum est. Ex his ubi et ubi primum usitatissimae sunt, illa praecipue apud Capitolinum et Pollionem; hic decies fere, ille in vitis Maximinorum Gordianorum Maximi & Balbini non minus sexies decies ‚ubi' ponit, quem numerum ceteri loci vix excedunt universi. Gallicanus hanc vocem plane aspernatur, Vopiscus

[1]) In v. Heliog. 14,5 pendet sententia interrogativa, in qua ‚quando' accepit primum locum, e verbo expectandi. De Macr. 12,2 cf. p. 55.

[2]) Cf. ‚tunc tamen' p. 36.

ter scribit et haec quidem verba ,ubi comperit': Aurel. 5,5. 37,6. Carin. 18,1. Eadem vero particula bis cum coniunctivo plusquamperf. coniuncta idem valet atque ,cum' iterativum, ex quo plerumque apud hos scriptores coniunctivum pendere supra docui. cf. Alex. 45,6: ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare vel propositos facere ..., nomina eorum proponebat. Alter locus est Tyr. 9,3 ,ubi necessitas coëgisset' (cf. Tyr. 30,5: cum necessitas postulet.). — Eandem notionem, quam ,ubi primum', praebet etiam cum tribus locis: Maxim. 14,3 et Gord. 13,3 et Tac. 1,2. Sed nequaquam dubito profiteri me nescire, quid illud ,cum' sibi velit, quo Pollio usus est Tyr. 10,12: Arcus Sarmaticos et duo saga ad me velim mittas, sed fiblatoria, ,cum' ipse misi de nostris.[1]) — Vocem cum primum sequitur indicativus perfecti: Comm. 20,5. Diad. 1,2. Maxim. 17,3. Aurel. 19,4. Tac. 8,3; coniunctivus plusquamperfecti: Max & Balb. 14,3. 17,2. Car. 5,1. Eandem vim continent ut simplex: Hadr. 3,10. Marc. 27,4. Comm. 3,6, statim ut: Pert. 11,12. Get. 3,2. Maxim. 10,3. Max. & Balb. 11,4. Car. 9,4 (ex Peteri coniectura admodum scita); ut primum: Carac. 5,1. Sat. 8,8. 9,1; primum ut: Claud. 5,1. — Dum ex usu cum indicativo praesentis temporis coniunctum est, cf. Hadr. 14,5. Marc. 12,13. Sev. 2,4 etc. Atque idem tempus etiam Pollio Claud. 6,2 adhibuit: ,dum aliis occupatus est Claudius dumque se instruit'. Neque enim dubito quin ex Pollionis sententia vocabulum ,occupatus' pro adiectivo habendum sit[2]), quae opinio forma praesentis temporis insequente confirmatur. Quamquam Iul. 6,3 legimus ,dum haec egit Iulianus, Severus classem Ravennatem occupat'; qui tamen secum reputaverit, quam facile ,egit' ex ,agit' depravari potuerit, hanc formam restituendam esse censebit, praesertim cum praesens sequatur. Recte monet Plewius[3]) duobus locis, Alex. 18,4 et Maxim. 9,8, in particula ,dum' notionem causalem inesse; vellem addidisset Tac. 2,6: ,dumque id saepius fit, sextus peractus est mensis'. Sed extant loci, ubi ,dum' coniunctivum imperfecti secum habet; dissentio enim a Draegero, qui omnibus eiusmodi locis ,cum' substitui vult.[4]) Nonne iam antea cum alii tum Livius[5]) eadem scribendi ratione haud raro utebatur? Servandae sunt igitur hae lectiones: Heliog.

---

[1]) Fortasse latitat in voce ,cum' significatio hominis cuiusdam mutilata.

[2]) Aliter Plewius l. l. p. 51.

[3]) Loco modo laudato.

[4]) Cf. Philol. XX (1863), p. 524.

[5]) Liv. 1,40,7: Dum intentus in eum se rex totus averteret, alter elatam securim in caput deiecit. 10,18,1: Dum ea in Samnio gererentur, Romanis in Etruria interim bellum ingens concitur.

25,8 ,dum pranderet', Alex. 13,2 ,dum ille pareretur', Gord. 31,1 ,dum haec agerentur' (sed 15,1 ,dum haec aguntur'). Uno tamen loco, Pert. 10,2 ,dum sibi quidam servus . . . Palatinam domum ridicule vindicasset cognitusque iussus est flagellis caesus domino restitui', ne ego quidem infitior ,cum' esse revocandum; ceterum totus locus medella eget. In ipsis vitis imperatorum ,dum' ,so lange bis' frustra quaeres praeter illud Vergilii quod vates Claudio edidit secundum Vopiscum Claud. 10,4: ,Tertia dum Latio regnantem viderit aestas'. — Etiam donec in his vitis reperitur idque semel; extat cum indic. perf. apud Spartianum Hadr. 23,7. Nusquam vero voci ,dum' ea notio assignatur, ut aliquid consulto factum esse indicet; has partes suscepit particula quamdiu cum coniunctivo coniuncta, cf. Hadr. 21,1. Heliog. 29,7. Alex. 45,2. Prob. 14,2. Propriam vero significationem huius vocabuli servatam vides Tyr. 12,6. Aurel. 9,6.7. Pesc. 3,11. 11,3, quibus locis indicativus ex lege usurpatus est excepto extremo, quippe quo verba orationis obliquae afferantur. — Antequam et priusquam cum coniunctivo coniungi solent, plerumque imperfecti aut plusquamperfecti, raro praesentis (,antequam' nusquam nisi Alex. 29,1). Indicativus perfecti e voce ,priusquam' semel, Max. & Balb. 8,3, semel indic. praes. pendet: Alb. 1,5. Insolenter vero sequitur indicativus imperfecti particulam ,antequam' Iul. 1,4: quaestor ante annum quam legitima aetas sinebat designatus est. Vocis ,antequam' usurpatione prorsus abstinuerunt Gallicanus, Pollio, Vopiscus. Nusquam Gallicanus, uno loco vitae Claudii 18,1 Pollio, bis, Prob. 16,1 et Firm. 2,3, Vopiscus ,priusquam' posuit. Aliquotiens utriusque coniunctionis duae partes seiunctae occurrunt hoc discrimine, ut vocis ,antequam' prior pars semper loco praepositionis scripta sit: Marc. 27,11. Pert. 14,1.3. Iul. 1,4. Adverbium vero ,prius' non modo a particula ,quam' negatione praemissa disiunctum est: Marc. 14,3. 22,8. Max. & Balb. 8,3,[1]) sed etiam in sententiis affirmativis parem scribendi rationem cernimus: Sev. 23,7. Pesc. 7,2. Get. 1,2. — Restat ut haec verba Spartiani illustremus in v. Sev. 8,8 facta: [Severus] intra triginta dies quam Romam venerat est profectus.[2]) Simili modo iam Livius loquebatur, qui tamen in eiusmodi dictionibus nomina numeralia, quae vocantur ordinalia, ponere solebat.

4) Venio nunc ad coniunctiones causales. Prout sententia postulat, quod aut indicativum aut coniunctivum secum habet, coniunctivum tamen haud raro etiam tum, cum non

---

[1]) Errat igitur Brocksius qui (p. 27) censet solum Spartianum hoc dicendi genere usum esse.

[2]) Cf. Eutrop. 2,28: intra sex dies quam venerant.

flagitatur, cf. Marc. 4,4. 5,5. 8,9. Ver. 6,2. 7,9. 9,7. Gord. 28,4 etc. ‚Idcirco' saepissime antecedit, ‚ideo' raro: Heliog. 13,2. Alex. 51,4. Car. 9,1. ‚Ob hoc', quocum ‚quia' numquam coniunctum est, indicat causam sequente particula ‚quod' Ver. 3,6. Iul. 3,7. Carac. 4.5. Get. 2,2.4. Maxim. 11,8, quibus locis indicativus, Carac. 4,8 et Tyr. 22,3, ubi coniunctivus sequitur. — Illa vox ‚quod' ‚dass' quae ad res definiendas spectat, cum indicativo coniungi solet, nisi forte quae aliquis dixerit aut senserit explicatur (Maxim. 4,9). Recte auctor Pii bis coniunctivo usus est, ubi verbum dicendi ex illa coniunctione pendet, cf. Pi. 4,8 ‚huius primum hoc fertur quod dixerit' et 10,5. Sed nego ullam fuisse causam cur Vopiscus eundem modum adhibuerit Aurel. 3,4: ‚An Platonem magis commendat quod Atheniensis fuerit quam quod unicum sapientiae munus inluxerit'? In dictionem ‚accedit quod' et similes saepe incidimus, nonnumquam etiam ubi particulam ‚ut' desideramus, cf. Ver. 8,7. Haec semel quantum memini — Alex. 12,5 ‚cum eo accessisset ut' — usurpata est. Certam autem deprehendimus scribendi rationem: aut ‚huc accedit quod' aut ‚huc accedebat quod' occurrit: Alex. 66,3. Maxim. 23,2. Max. & Balb. 15,2. Gall. 1,5. 19,8. Tyr. 12,18. Tac. 1,4. Sed si tempus perfectum ponatur necesse est, semper habes ‚his accessit quod': Ver. 8,7. Sev. 6,7. Alex. 13,3. 67,3. Car. 8,7. Nec non invenitur ‚his accedit quod': Claud. 5,2 et Aurel. 4,5. Idem significat ‚adde quod': Avid. 2,3. Diad. 8,6. Prob. 23,3. Sat. 10,3. Bis extat ‚parum fuit quod': Marc. 18,5 et Gord. 13,8. — Est hic locus ut disseratur de idiotismi genere illius simili, quod observavimus, cum in usum particulae ‚ut' inquisivimus. Quamquam enim iam Plewius hanc scribendi consuetudinem copiose tractavit[1]), tamen ne manca vocetur haec commentatio, materia apte disposita colligam ea quae huc pertinent. Occurrit igitur ‚quod' pro accusativo c. inf. a) dictionibus impersonalibus, b) verbis declarandi, c) verbis sentiendi subiectum. ‚Quod' pendet a) ex his dictionibus impersonalibus: constat: Pesc. 12,3 et Gord. 4,8. sermo, fama, fabula, fabella est: Marc. 23,5 et Ver. 10,1. Marc. 23,9. Ver. 11,2. Carac. 8,6. notum est atque vulgatum: Num. 15,4. b) E verbis declarandi: addere: Sev. 11,9 et Aurel. 4,6 adserere: Aurel. 2,1. dicere: Pesc. 9,5. Macr. 14,1. Maxim. 9,5. fingere: Pert. 4,7. Iul. 8,7. Alb. 12,8. 14,4. frequentare: Hel. 5,8. iungere: Hadr. 11,7. iurare: Macr. 5,9. mentionem facere: Alex. 38,1. persuadere: Alex. 35,6. reclamare: Heliog. 31,4. referre in litteras: Tyr. 7,1. scribere: Hadr. 11,6. Avid. 9,7. Firm. 2,2. tacere:

---

[1]) Plew l. l. p. 48—49.

Claud. 18,4. Accedit ,quod' post iusiurandum: Heliog. 30,3. c) E verbis sentiendi: audire: Valer. 1,4. cognoscere: Gall. 3,6 et Prob. 10,8. comperire: Gall. 2,3 et 17,1. credere: Macr. 3,2 et Tyr. 10,4, qui tamen locus detractionem verbi (,dictum sit') praebet. existimare: Diad. 1,2 ignorare: Heliog. 21,1 et Gord. 22,9. intellegere: Alex. 14,4. putare: Alb. 13,1 et Maxim. 17,3. scire: Macr. 10,4. Alex. 67,1. Prob. 18,7. sperare: Macr. 5,5. Tyr. 3,9. 15,4. suspicari: Max. & Balb. 14,4. videri: Hel. 6,5 et Ver. 9,2. Adde adiectiva ,certus' et ,ignarus': Macr. 18,2 et Sev. 1,9, et substantivum opinio: Hadr. 7,3. — Vides igitur quam late pateat haec dicendi consuetudo, quae ne ab aliis quidem degeneratae linguae scriptoribus[1]) aliena est. Locis autem, quos citavi, fere omnibus ,quod' cum coniunctivo coniunctum est exceptis sex; legimus enim Sev. 11,9: addunt alii quod praecepit. Tyr. 3,9: spero quod mihi gratias agetis. Praeterea extat indicativus post ,sciendum est quod': Macr. 10,4 et Prob. 18,7; post ,in litteras referre quod' Tyr. 7,1; denique post verba ,notum est atque vulgatum quod': Num. 15,4[2]). — Dictio ,nihil est quod' apud unum Vopiscum reperitur: Aurel. 24,4 et Firm. 5,4. Idem auctor praebet illud causale ,non quo': Aurel. 24,9. Neque omitto commemorare particulam cur in locum vocis ,quod' successisse Sev. 14,13: damnabantur autem plerique, cur iocati essent, alii, cur tacuissent, alii, cur pleraque figurate dixissent. — Non modo ,quod' sed etiam quia nonnumquam cum particulis ,idcirco' et ,ideo' coniunctum est; sed ,ob hoc' huic coniunctioni nunquam antecedere iam supra (p. 53) exposui. Imprimis Pollio ,idcirco' praemittere solet; quotiescunque enim ,quia' posuit, illam particulam adiungit excepto uno loco Valer. 1,2. Apud ceteros scriptores ,idcirco quia' raro legimus: Hel. 7,5. Ver. 2,3. Pert. 10,9. Alex. 43,6. Aurel. 44,5. Etiam rarius extat ,ideo quia', nam praeter Alex. 65,5 spectant huc sola verba Capitolini Gord. 34,4 ,quod ideo videbatur additum quia' seq., quamquam hoc loco codices ,adeo' exhibent; quod in vocabulum ,ideo' mutandum esse certum est. Maxime frequentavit Vopiscus coniunctionem ,quia'; quin etiam haec apud eum semel e verbo affectum quendam significante pendet. Tradidit enim Vopiscus Prob. 15,1 litteras a Probo ad senatum datas, quae ita incipiunt: Ago diis inmortalibus gratias, p. c., quia vestra in me iudicia

---

[1]) Cf. Apul. Met. 6,425: adulescentem istum quod manibus meis alumnatus sit, profecto scitis omnes. 4,246: colloquentes quod. 10,724: nuntiaret quod.

[2]) His allatis exemplis manifestum est ab auctoritate Draegeri in hac quidem quaestione esse discedendum quippe qui vir doctissimus (II 226) quattuor locos prave huc rettulerit; nam defenditur coniunctivus Ver. 11,2. Pesc. 12,3. Gord. 4,8. De Car. 4,8 cf. p. 2 adnot. 2.

comprobarunt. — Per se intellegitur cum causale passim inveniri; quod cum adverbio ‚praesertim' coniunctum est uno loco: Max. & Balb. 17,7. Pro hoc enim adverbio h. A. scriptores ‚maxime' in usum receperunt; occurrit igitur ‚maxime cum': Pi. 4,3. Avid. 2,7. Tyr. 1,2. Carin. 18,5. Similiter ‚maxime quod': Sev. 19,6. Alex. 28,7. Gord. 31,1. — Sententias, quibus argumenta certissima afferuntur, aut quoniam aut si quidem moderatur. Illud quod semper indicativum secum trahit plerumque ab his scriptoribus ita ponitur, ut particula ‚et' antecedat. Maxime indulget Vopiscus verbis ‚et quoniam': Aurel. 2,1. 12,3. 15,3. Tac. 13,2. Flor. 18,1. Prob. 2,2. 11,1. Proc. 12,6. Bis legimus ea apud Pollionem: Valer. 8,3 et 5. Cf. praeterea Hel. 1,3. 2,3. Sev. 17,5. Carac. 7,3. Heliog. 34,6. Alex. 38,1. Maxim. 28,8. Max. & Balb. 6,1. Aliquanto frequentius occurrit ‚si quidem', quae tamen vox maximam partem vice fungitur earum coniunctionum causalium, quae coordinationem efficiunt. Legimus enim hanc particulam pro ‚nam' vel ‚enim' scriptam apud omnes h. A. scriptores: Hadr. 1,1. 10,3. Hel. 6,3. Pi. 11,1. Avid 4,9. 11,1. Diad. 2,2. Heliog. 13,2. 17,4. Gord. 18,3. etc. etc. Creberrime Pollio illa voce utitur: Gall. 14,10. 18,4. 19,6 etc.; raro Vopiscus: Flor. 18,4 et Prob. 20,2. Deflexerunt autem aliquotiens auctores de recta scribendi ratione coniunctivo posito et his quidem locis: Marc. 19,7. Avid. 5,6. Macr. 7,7. Heliog. 17,7. Alex. 12,5. Gord. 21,4. 23,7. Max. & Balb. 18,2. Ceterum a Capitolino ‚si quidem' eodem modo atque ‚nam' usurpatum esse ex ea quoque re intellegitur, quod etiam illud nonnumquam invenitur, ubi sententia deest, quae argumentis firmetur; quod verbis fontium temere ac neglegenter excerptis facile potuit oriri[1]). Eiusmodi loci sunt Maxim. 27,2 et Max. & Balb. 4,3; neutro loco particulam causalem necessariam esse censeo. — ‚Quando quidem', quod nonnullis locis vitarum Hadriani et Marci extat, prorsus aliter vertendum esse atque illud, quo auctores purae latinitatis utuntur, suo loco[2]) ostendi; nec probare possum sententiam Plewii[3]), qui illi particulae eandem vim assignavit, quam ‚si quidem' complectitur. — Sed simplex vox quando non modo relativam et temporalem[2]), sed etiam causalem notionem prae se fert eamque uno loco: Macr. 12,2. — Restant coniunctiones quippe et utpote, quae cum pronomine relativo coniunctae sententias vi causali afficiunt. Ter occurrit ‚quippe qui': Marc. 16,4 et Aurel. 5,1, ubi pro depravato verbo ‚adseverit' facillima mutatione facta ‚adseruerit' lego[4]), et Gord. 15,3; sed ne hunc quidem locum

---

[1]) Cf. p. 38—40. — [2]) Cf. p. 50. — [3]) Plew. l. l. p. 53. — [4]) Cf. Aurel. 2,1.

sanum esse manifestum est, quoniam codices haec exhibent: ‚quippe qui nobilitatis deliciis tardatur'. Peterus nullo iure ‚tardabatur' in textum recepit; fortasse Capitolinus ‚deliciis esset tardatus' scripsit. ‚Utpote qui' bis invenitur: Macr. 5,7 et Gord. 27,9. Legimus autem solam particulam ‚utpote' in sententiis brevibus atque concisis non modo Hel. 6,5 et Marc. 5,1 et Num. 12,1, ubi illa vox participio adiuncta est, sed etiam his locis: Hel. 7,2 ‚Verum, nepotem utpote suum'. Pi. 7,12. Marc. 16,7. Comm. 15,7. Heliog. 2,2. 32,6. Alex. 63,2. Maxim. 10,3. Tyr. 8,3.

5) Proximo loco agamus de coniunctionibus condicionalibus si et **nisi**; de quibus cum iam Plewius copiose disputaverit [1]), ea tantum proferam, quae necessario addenda mihi videntur esse. Coniunctivus imperfecti pro plusquamperf. frequenter positus est, non modo Carac. 10,3 et Tyr. 13,1, sed etiam Macr. 5,5, Heliog. 15,1, aliis locis. Futurum exactum neglectum est Alex. 53,5: quae (disciplina maiorum) si dilabitur, et nomen Romanum et imperium amittemus. Deinde coniunctivum non modo imperf. sed etiam plusquamperf. e coniunctione si ‚für den Fall dass' pendentem invenimus, cuius usus Plewius etiam ipse affert exempla — invitus, credo, nam imperfecti coniunctivum solum ita occurrere pronuntiavit — atque haec: Macr. 13,4. Heliog. 4,3. Alex. 39,1. Hac autem scribendi ratione omnes scriptores h. A. utuntur, etsi raro; una tamen Alexandri vita illam abunde praebet, id quod cum aliis locis tum maxime capitibus 29 et 46 comprobatur. Quod Plewius apud Capitolinum hunc usum extare negavit, vellem oculis collustrasset Maxim. 19,5. Praeterea ille vir doctus quod contendit tribus tantum locis Spartiani (Hadr. 11,3. Marc. 14,1. Pert. 7,1) verbum in summa sententia condicionis in participii formam redactum esse — qui usus ante aetatem Livianam non observatur —, haud dubie in errore versatur, id quod omnes certe concedent perlustratis aliis locis, velut Alex. 42,4: cetera sibi habituri, si bene egissent, in quadruplum reddituri, si male. Tac. 13,3: auxilium daturi nostris, si necessitas postularet. Prob. 14,4: Romanam expectaturi defensionem, si essent ab aliquibus vindicandi. Sufficiant haec exempla. Raro reperitur indicativus in eo enuntiato, quocum sententia condicionalis, quam vocamus irrealem, arte cohaeret: Hadr. 27,2. Marc. 16,6. Maxim. 12,2, ut vitas a Pollione et Vopisco conscriptas neglegam, ex quibus ipsis quoque pauci loci huc referri possunt [2]).

---

[1]) Plew. l. l. p. 53—55.

[2]) Addit Plewius (p. 55) duos locos e vita Maximinorum (Max. & Balb. ex errore librarii), quorum alter 22,1 idcirco huc non referendus est, quod indicativus adverbio ‚paene' adiecto positus est; alterum invenire omnino non potui.

Nec desunt loci, quibus indicativum in utroque enuntiato pro coniunctivo legimus; ut exemplum afferam, Alexander Severus sic loquitur 10,2: ‚Si enim Antonini nomen accipio, possum et Traiani'. Attamen is imperator Antonini nomen iam repudiatum numquam accepit. Bis Vopiscus ‚si' cum coniunctivo adhibuit, ubi infinitivum subiecti loco scriptum desideramus, cf. Prob. 6,1 ‚Longum est, si per res gestas tanti percurram viri' et Carin. 17,7 ‚Longum est, si de eius luxuria plura velim dicere.' Hunc usum iam Terentius admisit. Solus praeterea Vopiscus dictione ‚si non — at saltem' usus est: Tac. 8,5. Praeter Alex. 20,2 nullius mihi in mentem venit loci, ubi ‚sin' scriptum est, exceptis locis Avid. 2,2 et Max. & Balb. 2,6, ubi ‚sin minus' extat. — Ut verba quaedam certis finibus coërceant, hi scriptores non ‚si modo' utuntur, ut Cicero aliique, sed ‚si tamen' cf. Macr. 1,5 et Valer. 6,6; occurrit idem in pentametro distichi ab Apolline Delphico editi Pesc. 8,6[1]). — ‚Si forte' non solum in vitis Spartiani, Capitolini, Lampridii invenitur[2]), sed etiam apud Vopiscum (Aurel. 6,2), nusquam apud Pollionem; ‚nisi forte' habes bis: Maxim. 33,3 et Aurel. 41,12. ‚Nisi si' occurrit Hadr. 22,2. Alex. 39,1. Gord. 32,4. Gall. 6,9. Prob. 14,5. — Restat ut commemorem illud dum, quo non modo condicio efficitur sed etiam ea quae aliquis optat adumbrantur, non usurpatum esse nisi duobus locis: Tyr. 8,10 et Get. 2,8, hoc tamen loco cum negatione ‚non': ‚Sit divus, dum non sit vivus.'

6) Omnium coniunctionum concessivarum usitatissima quamvis accurate examinetur oportet. Raro ea usurpatur eodem modo quo apud auctores purae latinitatis: Hadr. 16,8. Marc. 12,6. Cum superlativo coniunctum occurrit Hadr. 15,10. Plerumque coniunctionis ‚quamquam' partes suscepit apud omnes auctores excepto Gallicano, qui et ‚quamquam' et ‚quamvis' aspernatus est: Marc. 6,8. Sev. 21,11. Carac. 5,2. 7,5. 11,2. Diad. 4,4. Heliog. 2,4. Alex. 12,4 etc. Quin etiam ad tantam licentiam hi scriptores progressi sunt, ut ‚quamvis' in initio talium enuntiatorum ponerent, quibus verba antecedentia corrigerentur aut ad certum modum reducerentur, ubi aetate Tulliana ‚quamquam' scriptum esse constat. Modum sane coniunctivum etiam in eiusmodi sententiis adhibebant, quamquam eas in modum gravissimorum vel principalium enuntiatorum proferebant. Haec scribendi ratio offertur his locis: Hadr. 5,6. 24,4. 25,4. Ver. 10,2. Pert. 10,6. Sev. 7,9.

---

[1]) ‚Bis denis Italum conscendit navibus aequor:
‚si tamen una ratis transiliet pelagus.'

[2]) Cf. Plew. l. l. p. 55.

14,7. 24,2. Macr. 2,3. Diad. 2,7. 8,3. Heliog. 18,1. Alex. 30,3. 47,1. Max. & Balb. 4,5. 12,8. Gall. 12,6. Claud. 11,9. Prob. 7,1. Num. 13,4. — Bis extat licet in integro enuntiato: Hadr. 16,8 et Pesc. 9,5; bis vero more poetarum usurpatum aut adiectivo aut adverbio ascriptum est. Legimus enim Pesc. 5,5 ‚difficili licet itinere ac navigatione' et Comm. 17,1 ‚His incitati, licet nimis sero.' — Duobus locis quamquam praebetur: a Pollione Tyr. 18,8 cum coniunctivo coniunctum, a Capitolino Max. & Balb. 17,2 cum detractione verbi. Pari cum detractione etsi Hel. 5,2 et 8 occurrit atque etiamsi Hel. 3,6. Pesc. 9,4. Gord. 2,1. Noto praeterea ‚etsi' cum indicativo coniunctum: Get. 3,1 et Alex. 30,3. Eundem modum ‚etiamsi' secum habet his locis: Pesc. 10 9. Claud. 1,3. Prob. 6,2. Car. 3,2; coniunctivum autem legimus: Hel. 7,5. Marc. 10,7. 19,12. Avid. 2,2. Alex. 17,2. Quamquam etiam apud Pollionem et Vopiscum hic modus invenitur, sed in eis tantum sententiis, quas vocamus hypotheticas: Claud. 2,1.3.5. 12,3. Flor. 16,6. Vopiscus solus bis usus est coniunctione tametsi in sententiis, quae speciem gravissimarum praebent: cum coniunctivo Aurel. 42,6, cum indicativo Firm. 3,1. — Nonnihil denique addendum est de coniunctione cum, quae satis multis locis concessivam notionem prae se fert. Haud ita frequenter ‚tamen' respondet: Marc. 26,3. Macr. 6,8. Gord. 27,1 etc. Etiam illud ‚cum', quod adversativum appellamus, non raro occurrit: Hadr. 21,11. Marc. 8,3. 10,11. Carac. 5,2. Gord. 4,4. Max & Balb. 1,2. 15,5. 16,7. Sat. 11,1 etc. Sed quid apud Capitolinum Maxim. 33,2 ‚cum' sibi velit, me nullo pacto intellegere profiteor. Fertur enim auctor haec scripsisse: ‚Sane quod nullo in loco tacendum est, cum et Dexippus et Arrianus et multi alii Graeci scripserunt . . . Latini scriptores dixerunt' seq. Quicunque vero verba simillima, quae idem auctor scripsit Max. & Balb. 1,2 ‚cum et Dexippus' seq. et 15,5 ‚cum et Dexippus' seq., legerit, non dubitabit quin nostro quoque loco cognosci possit neglegentia illa et incuria excerpendi, quam scriptores h. A. persaepe commisisse demonstravi. Culpa librarii aut casu aliquo illud ‚cum' ex locis simillimis, quos citavi, in textum irrepsisse mihi minus veri simile videtur esse.

7) Restant coniunctiones comparativae. In enuntiatis vere comparativis ut rarius quam pro magnitudine voluminum legitur; pariter autem atque illi consecutivo ‚ut' [1]) etiam comparativo nonnumquam ‚ita' praemissum est nullo interiecto verbo: Sev. 17,2. Alex. 20,1. Maxim. 12,10. Gord. 5,5. 31,5.

---

[1]) Cf. p. 44.

Aurel. 1,8. Dictiones ,ut est pronus' ,ut erat ferocior' similesque maxime Vopiscus in ore habet, cf. Aurel. 8,4. 21,5. 31,3. 32,3 etc. Invenimus ab eodem scriptore Num. 15,2 haec scripta de Diocletiano: ,denique, ut erat altus (= occultus vel tectus), risit et tacuit'. Raro utuntur ceteri scriptores his dictionibus, quibus non modo condicio moresque hominis cuiusdam exprimuntur, sed etiam saepenumero causa alicuius rei adicitur. Utraque notio etiam in illis verbis videtur inesse, quae Alex. 60,3 praebentur: ,hostia cruenta effugit et, ut se civiliter gerebat ac permixtus populo erat, albam eius vestem cruentavit'. Pollio solus coniunctione ,utcunque' in pleno enuntiato usus est: Tyr. 12,16. Nec plus octies quem admodum[1]) usurpatum est in sententiis integris iisque vere comparativis: Pi. 4,5. Marc. 21,6. Alex. 41,3. 57,7. Max. & Balb. 7,7. Gall. 14,2. Aurel. 48,1. Prob. 12,7. Sane in brevibus enuntiatis interpositis ,ut' usque quaque invenitur, sed hac re differt Capitolinus a ceteris scriptoribus — excepto Vopisco, cf. Aurel. 3,1 —, quod in altero enuntiato prius excipiente detractionem verbi admisit, cf. Maxim. 7,4: ,subito inmissis militibus, ut quidam dicunt, ab ipso, ut alii, tribunis barbaris'. Similia leguntur Gord. 27,2.4. Max. & Balb. 15,7. Cf. etiam Alb. 9,3: ut multi dicunt, se ipse percussit, ut alii, servo suo percussus.[2]) Sed in vita Diad. 5,6 verba ,ut quidam' illa quae non multo ante dicta sunt ,multi in litteras rettulerunt' non excipiunt; immo vero hoc loco ellipsis multum offensionis praebet. Qua re eo adducor, ut ,ferunt' inserens legam: ,et leo ruptis vinculis, ut quidam ferunt, ferus effugisset'. Ad hanc coniecturam cf. Macr. 3,6.8. Diad. 8,9. Quam facile librarii oculi a verbo ,ferunt' ad adiectivum ,ferus' aberrare potuerint, satis liquet. Etiam ,quemadmodum' ter vice fungitur particulae ,ut' in talibus enuntiatis: Pesc. 6,5 ,quemadmodum multi dicunt', Alex. 18,2, Prob. 18,4. Saepissime autem q u a n t u m in locum vocis ,ut' successit. Habes enim apud Pollionem Tyr. 3,2 ,quantum plerique adserunt' et 12,3 ,quantum Maeonius Astyanax adserit (sed 15,8 ,ut Cornelius Capitolinus adserit'). Similiter legimus ,quantum dicit, dicunt, diximus': Diad. 9,2. Alex. 29,2. Gord. 28,1. 29,2. Praeterea Sev. 21,12: quantum plurimi docent. Comm. 8,9: quantum intellegitur. Etiam haec inveniuntur: ,quantum loquuntur, loquebantur' Tyr. 15,7 et Prob. 8,3; qu. videmus: Alb. 14,4. Maxim.

---

[1]) Eadem vox interrogationem efficiens a Vopisco frequentatur: Aurel. 36,1. Tac. 3,.1 4,4. 13,4. Prob. 10,2. 17,5. 22,2. Sat. 8,9 (indic.!) Num. 13,2. Praeterea non occurrit nisi his locis: Comm. 5,2. Carac 9,11. 10,1. Alex. 67,1. Gall. 16,2.

[2]) Hanc quoque vitam Capitolino dandam esse postea ostendam.

13,4. Sat. 7,3; qu. videtur, videbatur: Ver. 3,6. Avid. 1,7. Comm. 4,7. 17,11. Alb. 4,5. Excipit ,ut' cum detractione verbi vocem ,quantum' apud Capitolinum Gord. 28,1: quantum plerique dicunt artibus Philippi, ut alii, morbo extinctus est.[1]) — Omnibus sententiis, quibus ficta verba comparationis continentur, ab his scriptoribus quasi solet praemitti. Quamquam nonnumquam, praecipue apud Vopiscum, particula quaedam addita est. Legimus enim ,quasi ut': Aurel. 32,2; ,proinde quasi': Pesc. 2,4. 5,1. Aurel. 19,3.4. 20,5; ,perinde quasi': Firm. 2,2. — Ex Plewii sententia ,sic — quasi' bis occurrit, Heliog. 10,2 et Alex. 37,1;[2]) attamen idem habes Ver. 8,7 et Maxim. 9,2: ,omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi'. ,Ita—quasi': Hadr. 26,8 et Pi. 12,6. — Videamus denique, quibus coniunctionibus h. A. scriptores in sententiis breviatis usi sint. Consentaneum est maxime ,ut' usurpatum esse, qua voce non modo comparatio, sed etiam causa exprimitur, cf. Hadr. 11,3. 15,6. Marc. 2,2 etc. Quin etiam auctor vitae Marci ad tantam licentiam processit, ut Marc. 7,3 scripserit: ,ob hoc Antoninus Pius . . . ut successorem eum imperii omnibus commendavit'; hoc loco iam is qui tertium recognovit codicem Bambergensem, illud ,ut' delevit. Passim ,quasi' et ,velut' occurrunt, semel ,tamquam': Max. & Balb. 17,7. Bis ,quemadmodum' invenitur, cui ,ita etiam' respondet: Get. 2,2 ,ut omnes deinceps principes quemadmodum Augusti, ita etiam Antonini dicerentur'; similis locus est Gord. 3,3. Atque etiam ,quomodo' pariter adhibitum extat Macr. 5,7: ,Sic Macrinus est Severus quomodo Diadumenus Antoninus', et Alex. 10,3: ,Quomodo Augustus, sic et Antoninus'.

Caput II.

Quaestiones de auctoribus.

Quod studiose ac naviter particularum usum perscrutatus eo adductus sum, ut crederem mihi in ea quaestione non acquiescendum esse, iterum iterumque has vitas perlegi, non modo ut dicendi genus omnium illius aetatis auctorum commune

[1]) Silentio praetermitto dictionem ,quantum potuit' et similes, quae Hadr. 21,5, Heliog. 34,3, Prob. 1,5 extant. Ceterum Vopiscus etiam ,quatenus' scripsit Aurel. 1,8 ,quatenus potes'; item Pollio Tyr. 22,6 ,quatenus potuit.' Loco verborum ,quod pertinet ad' (Gord. 27,1) habes Pi. 13,4 et Aurel. 2,1 ,quantum pertinet ad'.

[2]) Plew l. l. p. 52.

perspicerem atque callerem, sed etiam ut diversam singulorum auctorum scribendi rationem penitus cognoscerem. Sed quo plus studii in hac re exquirenda collocabam, eo magis intellexi fore ut illa spe destituerer, quam in quaestione grammatica posueram, qua controversiam de auctoribus dirimi posse speravi. Est enim quod persuasissimum habeamus ab his scriptoribus tam caeco amore et obsequio fontes adhibitos esse, ut eos haud raro ad verbum exscripserint. Quae cum ita sint, saepenumero dubitari potest, utrum verba cuiusdam scriptoris h. A. an fontis eius legantur. Quin etiam maiores narrationis partes sine ulla mutatione verborum ex fonte transcriptas esse ex eo ratiocinari nobis licet, quod narratiunculae quaedam a diversis auctoribus pari modo atque eisdem fere verbis produntur. Quid? quod etiam loci, quibus testes laudantur, ex fonte ad verbum excerpti inveniuntur? Quod ne infitieris, Marc. 24,6—7 cum Avid. 7,1—2 confer: iamiam prioris historici verba noveris. Inde est quod neque Plewii[1]) neque Brocksii[1]) dissertationibus res ad liquidum perducta est. Plewius ea potissimum verba scriptorum respicienda esse existimavit quibus auctores aut locos ex superioribus vitis in memoriam redegerint aut rationem habuerint locorum ad proximas vitas pertinentium; quae tamen verba minimi momenti esse ex iis patet quae modo de fontium usu dixi. Brocksius, qui in dissertatione sua cum sagacitate singulorum scriptorum dicendi genera illustravit, in extrema demum dissertationis parte in fontes inquirere coepit — meo quidem arbitratu parum prospere[2]) — nec tamen antea rationem habuit fontium. Itaque suo iure Ruebelius[3]): ‚Multas verborum constructionisque proprietates, quas Brocks vel Capitolini vel Spartiani esse contendit, iam in fontibus ipsis invenisse scriptores video. Quas sermonis proprietates Spartiani esse Brocks (p. 24—32) contendit, magnam in partem e capitibus allatae sunt, quae e Mario Maximo fluxerunt‘. Praeterea hoc nolo neglegere, quod Pollionis et Vopisci vitis omissis cognitionem solivagam Brocksius sibi peperit ob eamque causam sententiam quasi curtam protulit. Accedit quod parum accurate in singulas voces inquisivit, id quod iam multis locis prioris partis huius commentarioli apparuit, cf. p. 4 ‚denique statim‘[4]) p. 33 ‚etiam‘[5]) p. 36 ‚tamen‘ etc.‘[6]), p. 52 ‚ante—quam‘ et ‚prius—quam‘[7]) etc. Hoc quoque committit Brocksius, ut nonnumquam dictiones

---

[1]) Cf. p. 1 huius dissertationis.

[2]) Cf. Daendliker apud Buedingerum: Untersuchungen zur roem. Kaisergeschichte, III p. 299 - 306.

[3]) Ruebel diss. p. 30, adnot. 3.

[4])—[7]) Cf. Brocks diss. p. 13. 37. 36. 27.

in vita quadam frequentatas uni auctori tribuat neglectis ceteris vitis, quas eidem assignat, neglectis etiam aliorum vitis. Unde factum est ut illum usum, quo particula ‚et' praemisso verbo in initio enuntiati ponebatur, a Lampridio usque ad taedium legentium frequentatum esse contenderet[1]) ratione prorsus nulla habita vitarum Pertinacis, Getae, Diadumeni, quas ab eodem conscriptas esse ostendere studuit, quibus in vitis ne uno quidem loco illud dicendi genus occurrit[2]). Quod tamen illi viro docto distinctionis argumento est in vita Commodi, quamquam ne Spartianus quidem ab illo usu abhorret, id quod ipse Brocksius exposuit[3]). Neque haec discernendi ratio mihi probatur, qua is vir doctus p. 19 usus est, ubi ‚vel — vel' pro ‚et — et' a Capitolino praecipuo studio positum esse docere studuit, quamquam duobus locis e vita Hadriani notatis non plus unum e vita Maximinorum afferre potuit. Sed ne quis mihi obiciat me iusto copiosiorem in his rebus versari, consulto pluribus verbis usus sum, ut quam ardua quaestio grammatica esset aperirem. Atque etiam si quis usu particularum diverso diversitatem auctorum contineri putat, vehementer errat, nisi vero, ut exemplum afferam, Hadriani, Helii, Pii vitas ad auctorem plane alium quam Severi vitam referri opus esse censet, quod in tribus illis vitis particula ‚igitur' numquam, in una Severi quinquies inveniatur. Ergo nullo pacto dubitari potest, quin viis quas Plewius et Brocksius in dissertationibus suis inierunt relictis quaestio alia ratione instituatur necesse sit.

Rem ita sese habere nonnullis annis post editas illorum dissertationes intellexit Ruebelius[4]), qui studiorum suorum historicorum fructus in dissertatione de fontibus IV priorum h. A. scriptorum prodidit; nec tamen Dreinhoeferus[4]) illud comprobavit, quamquam et ipse studiis historicis inserviens operam nequaquam perdidit. Profecit sane aliquid Ruebelius, quoniam omnem curam in conquirendis fontibus consumpsit, quos qua quisque ratione compilaverit ad controversiam disceptandam aliquantum interest. Sed a vera discernendi via longe aberravit, et quod unius cuiusque scriptoris aetatem plane neglexit et quod hoc defendit permultos libros superiorum auctorum a scriptoribus h. A. evolutos esse. Ubicunque enim particulas ‚sane' ‚praeterea' ‚denique' scriptas invenit, locos ex alio quodam auctore excerptos agnoscendos esse statuit[5]). Quin etiam Capitolino, cui etiam vitas Marci, Commodi, Pertinacis, Caracalli, Getae dedit[6]), tantum diligentiae

---

[1]) Brocks diss. p. 14. — [2]) Cf. ea quae iam exposui p. 31. — [3]) Brocks diss. p. 27. — [4]) Cf. p. 1 h. diss. — [5]) Ruebel diss. p. 21. — [6]) Ruebel p. 60.

tribuit, ut putaret eum excerpta sibi fecisse diversis ex auctoribus, antequam ad historiam scribendam aggressus esset; quae excerpta et in epitomas — scl. ex Mario Maximo et Iunio Cordo — indidisse illum et in quaedam capita contulisse[1]). Quam sententiam iam Dreinhoeferus suo iure refellit, cum diceret ‚auctoribus illis minime tantam ingenii facultatem inesse, ut quae in pluribus libris de rebus gestis imperatorum invenissent, ipsi cum eruditione atque diligentia colligerent, diversa inter se conferrent, dubia proprio iudicio exponerent, denique totam rerum materiam in unum corpus ita disponerent, ut omnia inter se apta colligataque viderentur‘[2]). Sic acutissime Dreinhoeferus; qui vir doctus si nihil nisi priorem dissertationis suae partem in lucem edidisset, multorum voluntati satis fecisset: tanta sagacitate illustravit fontium apud hos scriptores usum. Quam ob rem oculos nonnumquam ad illam partem referamus oportebit. In altera parte, qua in auctores ipsos inquisivit, Dreinhoeferus alterum egit Plewium.

Recentissimis vero temporibus duo illi viri docti, de quorum dissertationibus primo loco disputavi, hanc materiam iterum tractavere in programmatibus, quia uterque videtur intellexisse quaestionum priorum argumenta iam non sufficere novissimasque quaestiones ex parte cursum tenere rectum, in quo perseverandum esse: uterque igitur, et Brocksius[3]) et Plewius[4]), in quaestionem vocavit cum alia tum rationem, qua scriptores h. A. ex fontibus res hausissent. Quibus studiis perductus Brocksius sententiam ab ipso ante prolatam omni vi defendit, Plewius sententia priore abiecta de singulis auctoribus ipsis certum iudicium ferri posse omnino negavit[5]) atque nomina auctorum codicibus traditorum retinenda esse mihi videtur censere[6]). Quae cum ita sint, ad discernendos singulos auctores Plewius nihil attulit; tamen ad nostram quaestionem iuvandam non nihil valet, quoniam id potissimum egit, ut Marium Maximum in vitis obscurioribus secundarii

---

[1]) Ruebel p. 21 et 49.

[2]) Dreinhoefer diss. p. 4; praeterea p. 5—7.

[3]) Brocks: Studien zu den Scriptores historiae Augustae. Progr. Marienwerder 1877.

[4]) Plew: Marius Maximus als directe und indirecte Quelle der Scriptores h. A. Progr. Strassburg 1878.

[5]) Plew progr. p. 19, adnot. 2: Die Scriptores benutzen im wesentlichen dieselben Quellen. Ihre Abhängigkeit von denselben ist eine schrankenlose. Daher sind alle Versuche, einem eine bestimmte Individualität, sei es in der Sprache, sei es in der Art der Quellenbenutzung, nachzuweisen, fruchtlos; denn sie haben keine Individualität.

[6]) Cf. verba quae sequuntur in adnotatione modo citata. Praeterea cf. p. 15 et p. 25 adnot. 2.

fontis locum tenere ostenderet idque argumentis firmaret. — Brocksio denique laudi est vertendum, quod omnes res ad distinguendos auctores idoneas — et tempus scriptorum et fontium usum et ordinem rerum tractatarum — in quaestionem vocavit, quare partem primam ad unum Spartianum pertinentem adhuc solam in lucem editam esse valde dolendum est. Atque equidem consentio cum illo viro docto de vitis, quas in ea parte tractavit, et assigno Spartiano easdem vitas ac Brocksius; tamen vereor ne ab eo dissentiam de nonnullis vitis, quas Lampridio et Capitolino dandas esse docere studebit, quandoquidem in fine prooemii se sperare pronuntiavit ad eundem exitum perventurum se esse atque in dissertatione sua. —

Nunc vero, ut quomodo vitae in scriptores singulos distribuendae sint etiam ipse in medium proferam, mihi quidem quaestio nisi hoc modo non instituenda videtur esse, ut priore loco examinemus, quo quisque tempore scripserit, altero loco, quos et quomodo quisque fontes compilaverit.

Ac primum quidem ut tempora singulorum scriptorum certis et angustis finibus determinemus, vix fieri potest. Interest autem hoc loco neque Trebellium Pollionem neque Flavium Vopiscum silentio praetermittere, quos in ceteris quaestionis partibus respici haud ita opus erit, quippe quorum de vitis iam nulla extet dubitatio; sed utriusque aetas accuratius definiri potest quam ceterorum. — Pollio igitur, qui fortasse a Diocletiano iussus[1]) a duobus Philippis usque ad divum Claudium et eius fratrem Quintillum imperatores tam claros quam obscuros memoriae prodidit[2]), non multo ante annum quartum saeculi quarti neque post annum sextum eiusdem saeculi scripsit. Nam commemorantur Tyr. 21,7 thermae Diocletianae exaedificatae, quas anno 304 confectas[3]) annoque insequenti a Constantio et Galerio Augustis dedicatas[4]) esse constat, atque appellantur Claud. 10,7 Diocletianus et Maximianus Augusti, quos Calendis Maiis anni 305 imperio se abdicasse nemo nescit. Brevi vero ante hoc tempus vitam Claudii a Pollione emissam esse cum Petero[5]) ex eo colligo, quod eodem loco Claud. 10,7 Constantius sic appellatur, quasi sine dubio mox futurus sit Augustus. Quae cum ita sint, luce

[1]) Cf. H. Peter: Historia critica scriptorum historiae Augustae. Lipsiae 1860, p. 9.

[2]) Aurel. 2,1.

[3]) Cf. Eusebii Chronicon ab Hieronymo versum.

[4]) Cf. C. I. L. VI 1130.

[5]) Peter l. l. p. 10.

clarius esse mihi videtur Pollionem non multo ante a. 304 scribere coepisse, composuisse continenti labore singulas deinceps vitas principum, primis anni 305 mensibus scribendi finem fecisse.

Venio nunc ad Vopiscum; qui auctore Iunio Tiberiano[1]) ad vitam Aureliani conscribendam, quam nemo Latinus antea composuerat[2]), tunc aggressus est, cum Pollio libellum suum iam publici iuris fecerat[3]) et cum Diocletianus iam vitam degebat privatam[4]). Ergo non ante annum 305 Vopiscus scribere coepit, quo anno non modo inchoatam sed etiam absolutam et in lucem editam esse hanc vitam e verbis auctoris Aurel. 44,5 ‚et est quidem iam Constantius imperator' concludo; Constantius enim, ad quem a. 305 imperium delatum est, iam a. 306 mortuus est. Addidit Vopiscus, quamquam minime consilium inierat plus unam Probi vitam edere, tamen Taciti Florianique vitas studio et cupiditate scribendi impulsus nec plures adiungere in animo habuit[5]). Attamen longo temporis spatio intermisso[6]) curiositati indulgens[7]) Probi vitam fortasse anno 312 — ex coniectura Peteri[8]) non improbanda — prodidit; haud ita multo post tyrannorum quadrigas, quas vocat Vopiscus[9]), vitasque extremas adiunctas esse veri simillimum est, quo tempore Diocletianus iam mortem obisse videtur[10]) (anno 313).

De temporibus ceterorum scriptorum hoc constat: Vulcacium Gallicanum[11]) et Aelium Spartianum[12]) scripsisse ad Diocletianum, Iulium Capitolinum[13]) et Aelium Lampridium[14]) ad Constantinum. — Reputanti vero num fieri potuerit, ut unus ex his quattuor scriptoribus ad utrumque imperatorem vitas diversas mitteret, hoc omnino negandum esse mihi videtur idque ob hanc causam. Unusquisque sibi proposuit seriem principium continuam litteris mandare: Gallicanus omnes purpuratos Augustos[15]), Spartianus non modo eos sed etiam Caesares[16]), Capitolinus singulos quosque principes et principum liberos[17]), Lampridius omnes Romanorum principes[18]). Num quis re vera consilium suum exsecutus sit, non liquet; sed extat ex eorum libellis nec vita ullius imperatoris ante Hadrianum nec post Maximum et Balbinum. Iam vero si quis auctor et ad Diocletianum et ad Constantinum

---

[1]) Aurel. 1,8—9. — [2]) Aurel. 1,4. — [3]) Aurel. 2,1. — [4]) Aurel. 43,2. — [5]) Flor. 16,8. — [6]) Prob. 1,5. — [7]) Prob. 2,8 et Carin. 21,2. — [8]) Peter l. l. p. 11. — [9]) Prob. 24,8. — [10]) Peter l. l. p. 12. — [11]) Avid. 3,3. — [12]) Hel. 1,1. — [13]) Maxim. 1,1 et Gord. 34,6. — [14]) Heliog. 2,4. 34,1. — [15]) Avid. 3,3. — [16]) Hel. 1,1. 7,5. — [17]) Maxim. 1,1 et Gord. 1,1. — [18]) Quod quidem verbis in v. Heliog. 1,1—2 subesse puto; cf. etiam Heliog. 35,1—6.

scripsisset, ab eo aliquamdiu scribendi studium intermitti opus fuit; Constantinus enim, ubicunque vocatur, appellatur ita, ut eum iam ad summam dignitatem ascendisse appareat. Certe Maxentius iam mortuus erat (a. 312); ex quo tempore ille appellabatur Maximus[1]), quod cognomen saepe invenitur, cf. Alb. 4,2. Alex. 65,1. Maxim. 1,1. Gord. 34,6. Atque adeo Licinium iam de principatu deiectum fuisse (a. 324) non solum a Lampridio Heliog. 35,6 pronuntiatur, verum etiam e verbis Capitolini in v. Gord. 34,5[2]) elucet. Praeterea nusquam Licinii mentio fit; quam ob rem eum iam non vixisse mihi videtur veri simile esse. Quis autem est qui persuasum habeat eum auctorem, qui principum vitarum series conscribere in animo habuerit, medio in labore subito desiisse (a. 305) et viginti fere annis post (a. 324) scribere perrexisse? Quis est qui, ut exemplum afferam, Teuffelii sententiam[3]) probet eidem Spartiano et Pescennii vitam Diocletiano imperante conscriptam et vitam Albini subsequentem sed permultis annis post compositam dandam esse? Atque ut Pollionis et Vopisci[4]) studia respici liceat, quoniam docuisse mihi videor Pollionem quasi uno tenore vitas suas composuisse atque Vopiscum fontibus latinis carentem intra paucos menses vitam Aureliani etsi longissimam litteris mandasse, ne ceteros quidem scriptores inter singulas vitas longiorem moram studiis scribendi fecisse suspicor. Mea igitur sententia Spartianus et Gallicanus Diocletiano soli, soli Constantino Capitolinus et Lampridius vitas dedicaverunt[5]). Hinc profectus contendo Spartiano abrogandas esse vitas ad Constantinum missas — etiam v. Getae — et assignandas omnes vitas ad Diocletianum missas excepta Avidii, quam unam ad Gallicanum referendam esse nemo negat; Capitolino et Lampridio abiudicandas esse vitas Diocletiano imperante compositas — etiam Marci, Veri, Macrini[6]). — Et quoniam Brocksius vitam Commodi ad Lampridium referendam esse dixit, facere non possum quin moneam in codice Palatino emendatrice tertia manu vitae Commodi

[1]) Noli cum Dodwellio (Praelectiones Camdenianae, Oxoniae 1692, p. 33) putare Constantinum nisi a. 312 et paulo post sic non vocatum esse; cf. Panegyr. vet. IX, 3,1, quo loco patet illi etiam a. 321 cognomen Maximi inditum esse.

[2]) Iam Richtero (Mus. Rhen. VII 33) hic locus premendus esse videbatur.

[3]) Cf. Teuffel Hist. litt. rom., 1882, p. 918.

[4]) Vopisco sane initio aliud consilium quam ceteris fuisse iam supra exposui.

[5]) Consentio igitur de hac re cum Brocksio, cf. progr. p. 17.

[6]) Coniectura Brocksii (diss. p. 45), qui Macr. 15,4 verba ‚Diocletiane Auguste‘ pro corruptis haberi et in ‚Constantine Auguste‘ mutari vult audacior est, quam quae probari possit.

verba ‚ad Diocletianum Augustum' praemissa esse, quamquam illam manum ex Peteri[1]) sententia nullius auctoritatis esse non ignoro. Attamen quod eadem verba vitis Hadriani Pii Veri Avidii Iuliani ab eodem correctore[2]) praemissa cum veritate congruere pro certo exploratoque affirmari licet, praeterea quod ab eodem initio vitarum Getae Heliogabali Maximinorum verba ‚ad Constantinum Augustum' recte addita sunt, persuasum mihi est verbis quoque vitae Commodi praemissis fidem habendam esse. Quae cum ita sint, vitam Commodi Spartiano assignandam esse puto cum aliis causis tum hac permotus, quod ad Diocletianum Augustum missa est.

Sed ut angustiores terminos temporum constituam, quibus vitae a primis quattuor scriptoribus sunt consarcinatae, Spartianus post Kalendas Martias anni 293 vitam Helii scripsit, id quod ex eo elucet, quod Hel. 1,1 Diocletianus ‚tot principum maximus' appellatur; illo vero die[3]) Diocletianus et Maximianus sibi assumpserunt Constantium et Galerium Caesares. Sed ne verba eiusdem Spartiani Pesc. 9,1 ‚Diocletiane maxime Augustorum' perverse interpreteris, eis idem sensus atque illis prioris loci subiciendus est, si quidem Caesares cum Augustis coniunctos et ipsos Augustorum nomen accepisse inscriptionibus et nummis satis confirmatur[4]). Ergo Spartianum non ante a. 293 vitas quae extant edidisse veri simile est; est vero certum eundem intra annum trecentesimum quintum scribendi finem fecisse, quippe quo anno Diocletianus purpuram abiecerit. De Gallicano certiora indicia desunt; quoniam autem Brocksius duabus causis allatis docere studuit Gallicanum ante Helium a Spartiano editum Avidii vitam emisisse, et quod Diocletianus ab illo simpliciter Augustus esset vocatus et quod Spartianus consilium latius patens pronuntiasset[5]), illa quidem causa repudianda esse mihi videtur, quod ipse quoque Spartianus illo simplici nomine usus est, cf. Ver. 11,4. Sev. 20,4. Macr. 15,4. Alteram sane causam improbare non ausim; sed certum iudicium de hac re nemo ferre potest. De Capitolini et **Lampridii** aetate satis copiose iam locutus sum: Licinio devicto (a. 324) utrumque vitas composuisse ostendi. Quoniam autem non futurum fuisse credo, ut urbs Constantinopolis silentio praetermitteretur, si eam

---

[1]) Cf. Peteri edit. praef. p. VII.

[2]) Idem etiam aliis locis rectas emendationes praebuit, cf. Pert. 5,6 et huius dissert p. 33.

[3]) Cf. Mommsen in actis quae app. Verhandlungen der sächsischen Gesellschaft d. Wiss. (1851) III p. 1—80.

[4]) Cf. Eckhel doctr. num. vet. VIII p. 6.

[5]) Brocks progr. p. 2.

5*

condere iam tum Constantinus in animo habuisset, ante annum 330 utrumque scriptorem a scribendo destitisse cum Petero[1]) arbitror. —

Altera huius quaestionis pars spectat ad fontes rationemque, qua priores quattuor scriptores eis utebantur. Ut igitur primum in vitas a Spartiano consarcinatas inquiramus, quicunque vitas Hadriani Pii Marci Veri Commodi Pertinacis Iuliani Severi Caracalli foras dare voluit, ei illis temporibus gravissimus auctor praesto fuit Marius Maximus, qui post mortem Heliogabali (a. 222) librum suum publici iuris fecit. De quo plura verba facere nolo, quia nec Ruebelius nec Dreinhoeferus nec Brocksius nec Plewius fusius de illo disserere omiserunt;[2]) hoc tantum commemoro Marci et Veri vitas uno volumine in duos libros diviso conscriptas et Heliogabali vitam ultimam esse tractatam a Mario. Illas vero novem vitas primo loco posui, quod omnes ad eundem auctorem referendae esse mihi videntur, ac Spartianum eum esse contendo, si quidem Hadriani auctorem nihil distare ab auctore Helii certe nullo refragante iam satis comprobatum est. Vitas illas novem ab eodem scriptore compositas esse apparet ex ea re, quod in illis idem rerum ordo receptus eademque fere ratio compilandi adhibita est; id quod ne Dreinhoeferum quidem fugit.[3]) Brocksius autem, qui in progr. p. 6 seq. de eadem re disseruit, etsi in universum nobiscum facit, tamen de Commodi et Pertinacis vitis dissentit, quas Spartiano abiudicandas esse iam in dissertatione sua causis parum gravibus allatis ostendere studuit[4]); quam sententiam ab illo viro docto nondum mutatam esse nobis suspicari licet[5]) Quoniam vero haec controversia diiudicari non potest nisi fontium vestigiis accuratius exploratis, videamus, quemadmodum Marius Maximus, quo Spartianus primario fonte usus est, materiem in singulis vitis disposuerit. Quamquam de hac re iam Dreinhoeferus et Brocksius disputaverunt, tamen liceat mihi iterum tabulam rerum proponere; apud Marium igitur singulae res se exceperunt hoc ordine: a) origo et familia, b) pueritia et res ante imperium gestae (studia, honores, omina imperii), c) imperium et mores, d) mors, e) descriptio personae et vitae privatae, f) brevia additamenta varii generis: opera, signa mortis, iudicia populi, honores post mortem etc., g) acta

[1]) Peter l. l. p. 8.

[2]) Copiosissime de eo disputavit I. I. Muellerus apud Buedingerum III 19—174.

[3]) Dreinhoefer diss. p. 8—9.

[4]) Brocks diss. p. 33 seq.

[5]) Brocks progr. p. 2.

senatus et epistulae. Hanc dispositionem Spartianus in illis novem vitis satis diligenter servavit, ita tamen, ut narrationem Marii, ubicunque potuit, contraxerit atque adeo multas res omiserit, quas mentione indignas memoriae tradidit Marius, ‚homo omnium verbosissimus, qui et mythistoricis se voluminibus implicavit'.[1]) Omisit consulto epistulas et acta senatus in omnibus vitis praeter Commodianam; illa autem re vera a Mario ascripta esse non modo ex hac vita[2]) et Pertinacis[3]) sed etiam ex Avidii vita[4]) cognosci potest. At vero illud, quod proprium Marii fuit, retinuit: ab imperii narratione descriptionem morum ad imperium pertinentium non seiunxit. Aberrat a veritate Brocksius, utpote qui compilatorem illum de moribus morte imperatoris iam narrata disserere consuevisse sed in ipsa vita Hadriani a recta dispositione discessisse putet.[5]) Immo vero res ita digestas invenimus in plurimis vitis e Mario haustis, ut morum descriptio commixta sit imperio; quod ut argumentis firmemus, dispositionem in primis tribus vitis adhibitam enodemus:

	imperii,	morum descriptio.
Hadr.	cap. 5 —24.	cap. 14,8—18. 20—21,4. 22.
Pi.	„ 5,3—12,3.	„ 7,5—6. 10,5—11,8.
Marc.	„ 7,5—27.	„ 12,2—6. 24,1—3.

Similiter res sese habet in ceteris vitis, etiam in vita Commodi: descriptio imperii cap. 2,6—15, morum 2,6—9 et 10—11,7. Sed concedo sane Spartianum mores ad imperium spectantes in nonnullis vitis tam leviter attigisse, ut fragmenta tantum afferret, velut in vitis Iuliani (3,9) et Pertinacis (9,9)[6]), sed ne id quidem mirari possumus, quia eorum imperia fuerunt brevissima. Quod autem in vita Severi morum paene nulla facta est mentio, causa subest plane alia; Spartianus enim postquam usque ad cap. 17 Marium secutus ordine res in imperio a Severo gestas rettulit, subito narrationem interrumpit his verbis ‚Et quoniam longum est minora persequi' seq.[7]), relictoque Mario, fonte verbosissimo, alterum fontem eumque exiliorem sequitur. Ita factum est ut res intra decem fere annos (a. 202—211) gestas duobus tantum capitibus (17,5—19,4) narraret. Quid igitur mirum quod morum descriptio ad paucos versus (18,4—5) redacta est? Quoniam autem sine dubio

---

[1]) Firm. 1,2. — [2]) Comm. 18—20. — [3]) Pert. 15,8. — [4]) Avid. 12—14. — [5]) Brocks progr. p. 7.

[6]) Quae Pert. 12—13 explanata sunt, ad vitam privatam omnia fere referenda sunt.

[7]) Sev. 17,5.

Spartianus etiam mores inter illas minores[1]) res, quas ut copiam abundantiamque verborum vitaret persequi noluit, numeravit, ne id quidem mirum videtur quod nonnullorum imperatorum mores paucis verbis illustravit; huc accedit quod imperium eorum, ut iam dixi, tam breve fuit, ut de moribus eorum ad vitam publicam pertinentibus vix fuse disputari potuerit. Mores autem ad vitam privatam spectantes plerunque cum personae descriptione coniuncti sunt; sic res certe iam Marius Maximus disponere solebat, sic et is qui eum imitabatur Spartianus. Qui quidem sententias ex fonte illo ita excerpsit, ut quam paucissimis verbis argumentum referret, qua re factum est, ut vitae a Spartiano conscriptae speciem acciperent centonum undique congestorum; tam breviter et abrupte omnia consarcinata sunt. Hoc studium brevitatis etiam in vitis Commodi et Pertinacis facile cognoscitur. Adverte animum ad Comm. cap. 3, ubi de primordiis regni, et cap. 16, ubi de prodigiis agitur: concedes omnia in modum Spartiani narrata esse. Iam vero quicunque Pertinacis vitae caput nonum inspexerit non cunctabitur profiteri eiusdem auctoris esse verba; nam in solis primis duabus paragraphis eius capitis non minus septem panniculi nulla coniunctione compositi inveniuntur. At Brocksius[2]) confusa et perturbata omnia in vita Commodi posita esse dicit, quam ad Lampridium referendam esse docere studet; omisit vero aliqua argumenta addere. Sed quid multa? Utramque vitam, et Commodi et Pertinacis, totam de Mario Maximo, quippe cuius dispositio diligentissime servatae sset, descriptam esse iam Dreinhoeferus[3]) explanavit neque obloquor equidem. Et quod Spartianus in vita Commodi ne senatus quidem acta a Mario Maximo relata[4]) silentio praetermisit, hoc mihi videtur ab auctore eo consilio factum esse, ut Diocletiano, qui Marcum Aurelium, Commodi patrem, specialiter venerabatur[5]), persuaderet Commodum re vera pessimum imperatorem fuisse, in quem etiam senatus odio flagrasset. Praeterea auctor Commodi longe aberat ut tam loquacem se praeberet quam Lampridius; qui certe non is erat qui silentio praetermitteret versus illos multos[6]), de quibus Marius Maximus gloriabatur, cf. Comm. 13,2. In vita Pertinacis rursus Spartiani studium brevitatis apparet ex eo quod epistulam a Mario huic vitae appositam inserere ‚ob nimiam longitudinem‘ noluit.[7]) Spartianus igitur

[1]) Cf. Capit. Max. & Balb. 6,1: Et quoniam etiam minora plerique desiderant, fuit cibi avidus seq.

[2]) Brocks diss. p. 33.

[3]) Dreinh. diss. p. 24—25. — [4]) Comm. 18,2. — [5]) Marc. 19,12. —

[6]) Quin etiam in Diadumeni vitam Lampridius versus in Commodum dictos inseruit, cf. Diad. 7,3. — [7]) Pert. 15,8.

in omnibus illis novem vitis, quas ei dandas esse dixi, vestigiis Marii Maximi insistebat atque id ita, ut ex eius opere suo arbitrio summatim res excerperet.

Nec hoc quidem silentio praetermittam, quod Spartianus quaecunque res ad complures imperatores spectant eas copiosius in vita eus imperatoris, quem maxime attingunt, narravit, in ceteris quam brevissime commemoravit. Ut alios locos omittam, cf. Hadr. 24,3—5, ubi in angustias quinque versuum[1]) sententias multorum compulit de cognomine Pii proditas, quas in ipsius Pii vita 2,3—7 versibus exposuit undecim. Illud quoque utroque loco examinato intellegitur eundem fontem subesse, quamvis diversae sententiae allatae sint; has igitur a Spartiano ex Mario Maximo transcriptas esse quis est quin videat?

Hunc gravissimum auctorem Spartianus numquam, ut mihi quidem videtur, reliquit duobus tantum locis exceptis; neque enim dubito quin compilator iste materiem ex compluribus fontibus compilatam narratione apta et concinna proferre omnino non potuerit. Meo autem iure ita de illo auctore me iudicare ipsis illis duobus locis, qui ex alio fonte fluxerunt, enodatis quivis concedet. Habes in v. Marci 16,3—18,2 priorem locum, quem ex opere Marii non manasse apertum est. In capitibus enim quae antecedunt res a Marco usque ad Veri mortem gestae memoriae proditae sunt, quae priore Marii de Marco libro continebantur; deinde vero res Marco solo imperante gestae eiusque mors bis narrantur. Non latet causa: Spartiamus, qua fuit socordia, tum demum sensit Marium vitam Marci duobus libris composuisse, cum priore libro compilato alteroque fonte excerpto ad Marium redisset. Iam vero cui fonti illa pars ab auctore inserta deberetur, iam Brocksium non fefellit: verborum concentu apparet hoc loco Spartianum eodem fonte usum esse atque Eutropium et auctorem epitomae, quae S. Aurelii Victoris nomen prae se fert. Vitae enim Marci descriptionem ab Eutropio VIII, 11—14 editam verbis Spartiani Marc. 16,3—18,2 respondere apertum est. Praeterea cf. Epit. Aurel. Vict. 16,7—10. Iterum Marii libris neglectis Spartianus alium fontem sequitur in v. Severi 17,5—19,4[2]), cuius loci iam supra feci mentionem; ibi Marium quam par esset verbosiorem compilatori visum esse iam docui. Qua de causa is materiem sumpsit ex eodem fonte, qui Aurelio Victori vitas Caesarum conscribenti praesto fuit, id quod neminem fugiet, qui Aurel. Vict. Caes. 20,10—30 legerit. Quin etiam Spart. Sev. 18,9 et Aurel. Vict. Caes. 20,25 paene ad verbum inter se congruunt. Sed extrema capita vitae Severi (19,5 —

[1]) Utor Peteri editione.
[2]) Cf. Brocks progr. p. 7—8.

24) omnia e Mario hausta esse censeo; quamquam Helius Maurus (20,1) citatur, qua re permotus Perino[1]) omnia illa capita eidem Helio Mauro deberi veri simile esse existimat. Sane tota narratio inde a capite 19 usque ad finem vitae adeo continua est atque sententiae tam apte inter se copulatae sunt, ut complures fontes statuendos esse adeo negem, ut contra iam a Mario verba Helii Mauri allata esse arbitrer[2]). Excursum enim illum, quem in cap. 21 legimus, Spartianus in ipso libello Marii videtur invenisse; conferamus enim Mariana verba in v. Carac. 10,1 ‚Interest scire, quemadmodum novercam suam Iuliam uxorem duxisse dicatur.‘ et 10,1 ‚matrem enim — non alio dicenda erat nomine — duxit uxorem.‘ Similia inveniuntur Sev. 21,7, quo loco et ipso interpellatio quaedam extat: ‚qui novercam suam — et quid novercam? matrem quin immo . . . uxorem duxit.‘ Hoc igitur quaestione nostra comprobatum esse censeo Spartianum omnia in eis novem vitis, de quibus modo quaesivimus, e Mario hausisse praeter duos locos ex aliis fontibus petitos.

Restant tres vitae, quas aetate Diocletiani conscriptas praeter illas novem Spartiano assignari opus est: Helii, Pescennii, Macrini. Ac primum quidem de Helio nulla extat dubitatio, quippe cuius vitae titulus ipsum nomen Spartiani praebeat. Ad eundem vero auctorem etiam Pescennii et Macrini vitas referendas esse ex usu fontium rerumque ordine apparet; duos enim fontes Spartianus in omnibus tribus vitis pari ratione compilavit. Quod ut accurate cerni possit, propono tabulam:

Pesc.	Hel.[3])	Macr.
	Ex priore fonte (Cordo):	
Exordium: 1,1—2.	Exordium: 1.	Exordium: 1.
	Excursus de nomine Caesaris: 2,1—5.	Excursus de nomine Antonini: 2,5—3.
Familia, pueritia, res ante imper: 1,3—5.	Familia: 2,6—10.	Res ante imperium: 4.
Imperium: 2—5.	Vita: 3—4,6.	Imperium: 5—9.
Mors: 6,1—4.	Mors: 4,7—8.	Mors: 10,1—3.
Descriptio personae, opera, mores: 6,5-8.	Descriptio pers., mores: 5,1—11.	
[Verba compilatoris propria, appellatio Diocletiani: 9,1—2.]		
Transitio ad Albinum: 9,3—4.	Transitio ad filium: 5,12—14.	Transitio ad filium: 10,4—6.

[1]) Perino: De fontibus vitarum Hadriani et Septimii Severi imperatorum ab Aelio Spartiano conscriptarum. Friburgi Brisigavorum 1880. p. 44.

[2]) Neque librum Apollonii Syri a Spartiano inspectum esse puto, qui citatur Hadr. 2,9.

[3]) Consulto hanc vitam in loco medio pono.

Pesc.	Hel.	Macr.
	Ex altero fonte.	
Augurium mortis et mors: 9,5—6.	Mala valetudo et mors: 6,1—6.	Mors: 14—15,1.
Mores: 10—12,3.		Mores: 11—13.
Res post mortem: 12,4—8.	Res post mortem: 6,7—7,3.	Res p. mortem: 15,2. (de Heliogabalo)
	[Verba auctoris propria: 7,4—5.]	[Verba auctoris propria cum appellatione Diocletiani: 15,3—4.]

Enucleato igitur rerum ordine Spartianum in his vitis nec plus nec minus duobus fontibus usum esse manifestum est; sed quos secutus sit pro certo affirmari non licet. Tamen priorem fontem Iunium Cordum fuisse veri est simillimum, cui ‚studium fuit eorum imperatorum vitas edere quos obscuriores videbat', ut in exordio vitae Macrini (1,3) legimus. Obscuriores vero haud dubie Cordus existimavit eos esse, quorum vitas Marius Maximus non edidisset, id quod etiam in illas tres vitas cadit. Atque adstipulor Plewio, qui Spartianum ex ipsis Marianis vitis aliorum imperatorum ad conscribendas illas tres vitas materiem non hausisse luculente exposuit[1]); per medium enim Cordum, qui Marii libros compilavit sententiasque eius exornavit atque etiam fabulas finxit, res ad Helium, Pescennium, Macrinum spectantes ex commentario Marii in vitas Spartiani fortasse pervenerunt. Quam sententiam ut firmem, possum multa argumenta afferre; sed quoniam iam Plewius fusius de his rebus disseruit, satis esto unum locum citare, quem ex priore fonte manasse certum est. Habes enim Hel. 5,5 haec: ‚de quo genere cibi aliter refert Marius Maximus non pentafarmacum sed tetrafarmacum appellans'[2]). Atqui si haec Spartianus ex sua sententia, non ex fonte (Cordo) addidisset, nonne putas futurum fuisse ut ille iam in v. Hadr. 21,4 scientiam eius rei ostentaret? Utut autem res sese habent, nequaquam dubito quin Spartianus ex ipso Mario vitas ‚obscuriorum' imperatorum non petiverit. — Praeterea quod auctor Macrini etiam Herodiani historiarum libros videtur volvisse, ne hoc quidem Spartiano sed Cordo tribuo, qui cum apud Marium pauca tantum de Macrino repperisset ad alios scriptores confugerat. Ac certe Spartianus Herodiani nomen commemorasset, si commentarios huius auctoris Graeci legisset. — At dicat quispiam Spartianum fortasse non ex duobus fontibus illas vitas conflasse sed ex

1) Plew progr. p. 21 seq.
2) Ad haec cf. Alex. Sev. 30,6.

uno Cordo compilasse; quae sententia ut multis non improbanda esse videatur, facile fieri potest. Quid? Nonne in ipsum Cor? dum culpam materiae inepte et stulte consarcinatae conferri licet - Attamen aliquid simile Spartianus in vita Pescennii commisit atque in vita Marci, in qua narrationem etsi iam ad finem perductam addita etiam appellatione imperatoris Diocletiani (19,12) repetivit. Simili neglegentia offendimur in vita Pescennii; nam quis putaret res non absolutas, non perfectas esse, quis crederet narrationem longius processuram esse, postquam Spartianus Pesc. 9,1 haec verba fecit: ‚Haec sunt, Diocletiane maxime Augustorum, quae de Pescennio didicimus ex pluribus libris'[1]) et 9,3: ‚Sequitur nunc ut de Clodio Albino dicam'? Utroque loco confusionem perverso duorum fontium usu ortam esse apparet. Denique quam inepte res in vita Macrini inter se conexae sint, quicumque extrema verba capitis decimi cum initio capitis insequentis comparaverit, perspiciet. Ne hoc quidem Cordo tribuerim sed Spartiano, qui artis varias res apte coniungendi prorsus ignarus fuit. — Haec hactenus de Spartiano; cui omnes vitas inde ab Hadriano usque ad Macrinum praeter Avidium Albinum Getam dandas esse satis docuisse mihi videor; hae igitur duodecim vitae, ut paucis complectar, ad Diocletianum missae atque in omnibus fontes pari modo adhibiti sunt: in novem vitis Marius Maximus, quem sane bis Spartianus reliquit (in vitis Marci et Severi), in tribus Cordus et alter fons.

Venio nunc ad Vulcacium Gallicanum, qui et ipse imperante Diocletiano scripsit; sed quoniam ex vitis eius una restat vita Avidii Cassii, non opus est multis verbis. Ac profecto unde illa fluxerit satis liquet; nam ut hoc praetermittam, quod ipse auctor eum librum bis appellat, quem Marius Maximus secundum de vita Marci Antonini edidit[2]), Marii Maximi librum subesse maxime comprobatur comparatis Avidii et Marci vitis. Neque enim puto per medium fontem — fortasse per Cordum — ex Mario in Avidii vitam illata esse verba, quibus ad alios scriptores reicitur. Nam habes eadem verba ‚ut quidam dicunt, Faustina volente' et in v. Marc. 24,6 et in v. Avidii 7,1, ut alia omittam. Accuratius autem, quam a Spartiano, a Gallicano Marianum libellum compilatum esse ex ipso eo loco apparet; respondent enim verba Spartiani Marc. 24,6—9 verbis Gallicani Avid. 7,1—6. Quamquam non dubium est quin Spartianus etiam ipse de Avidio in Avidii vita amissa verbosior fuerit, tamen si quis secum reputaverit Gallicanum epistulas et acta senatus non modo non silentio praetermisisse

[1]) Haec verba ipsa quoque praeter appellationem Diocletiani ex Cordo desumpta esse veri simile est. — [2]) Avid. 6,7 et 9,5.

sed etiam in eis reddendis operam collocasse (cf. Avid. 9,5—14), sententiam meam probabit. Ergo Gallicanus cum Marius Avidii vitam non separatam edidisset, sed Marci vitae immiscuisset,[1]) ex huius libro altero materiem hausit.

Quoniam Iulio Capitolino, de quo deinceps dicatur, vitas Maximinorum, Gordianorum, Maximi & Balbini attribuendas esse satis constat, facultas nobis est diiudicandi, quos fontes ille compilaverit, et eruendae rationis, qua usus sit illis. Capitolinus igitur non modo nonnullos fontes Latinos, Iunium Aelium Cordum, Marium Maximum,[2]) Aelium Sabinum,[3]) Curium Fortunatianum,[4]) Vulcacium Terentianum,[5]) sed etiam duos Graecos, Herodianum et Dexippum legendo percurrit[6]), quos ipse identidem citat, ubi ipsius Capitolini verba praebentur, cf. Max. & Balb. 15,5. 16,6 etc. Est autem scriptoris scientiam suam iactantis multos alios Graecos in testimonium vocare, cf. Maxim. 33,2. Ex Latinis scriptoris Cordum potissimum sequitur nec tamen in eius verbis ita haeret, ut Spartianus, sed suo iudicio usus haud raro illius verba refutat, cf. Gord. 21,3 et Max. & Balb. 4,5; ubiubi autem Cordi verba praeferenda esse censuit, eum sequitur, cf. Gord. 17,3: ‚sed ego Iunium Cordum sequor'. Saepenumero nescius quis fons anteferendus sit varias deinceps sententias affert neglecto suo iudicio, cf. Gord. 19,8—9: ‚Cordus dicit . . . contra Dexippus putat . . .' Gord. 22,2: ‚ut plerique adserunt undecim, ut nonnulli tredecim, ut Iunius Cordus dicit sedecim.' Uno eodemque tempore Capitolinus complures fontes sequitur, id quod multis locis apparet. Ut exempla afferam, certe illi mores Maximini describenti duo fontes praesto erant, cf. Maxim. 4,1. Praeterea narrationem morum atque generis Maximi et Balbini ex commentariis Curii Fortunatiani et Iunii Cordi fluxisse arbitror, quorum alter perpauca alter permulta de illis tradiderat. Nam hanc ipsam ob causam quod Fortunatianus inops verborum fuit, persuasum habeo Capitolinum abiecisse illud consilium ‚non eo modo' scribendi ‚quo Iunius Cordus est persecutus omnia'[7]); accedit quod verba Capitolini Max. & Balb. 6—7 Cordi rationem scribendi mihi videntur referre[8]). Quam grave discrimen inter Spartianum et Capitolinum! Ille, quo erat hebeti ingenio, ipsa verba unius, raro duorum deinceps fontium transcribebat; hic complures fontes una sequebatur nonnumquam suum iudicium addens, cf. cum alios locos tum imprimis Maxim. 12,7: ‚Aelius Cordus dicit hanc om-

[1]) Cf. Firm. 1,1: Marius Maximus Avidium Marci temporibus, Albinum et Nigrum Severi non suis propriis libris sed alienis innexuit.

[2]) Cf. p. 76. — [3]) Maxim. 32,1. — [4]) Max. & Balb. 4,5. — [5]) Gord. 21,5.

[6]) Arriano eum usum esse cum Brocksio (diss. p. 3) nego.

[7]) Max & Balb. 4,5.

[8]) Cf. Max. & Balb. 6,1: Et quoniam etiam ‚minora' plerique desiderant seq.

nino ipsius orationem fuisse: credibile est seq.‘ Similia apud Spartianum frustra quaeres. Hunc praeterea descriptionem morum et rerum in imperio gestarum confudisse docui; Capitolinus de moribus prius disserere solebat quam de imperio locutus est[1]), cf. Gord. 3,1 et Max. & Balb. 4,5. Sed ne Capitolinus quidem peritum se praebuit artis res ex diversis fontibus haustas apte coniungendi; documento est ratio, qua vita Maximini senioris illustrata est. Capitolinus enim postquam cap. 2—3 res ab eo viro Severo imperatore gestas exposuit, initio capitis quarti de moribus disputat; deinde ad res a Maximino ante imperium gestas reversus narrat, quomodo vitam imperantibus Caracallo Macrino Heliogabalo Alexandro egerit. Ne vitae quidem Maximini iunioris dispositio laudanda est; Capitolinus enim cum iam Maxim. 29,10 haec verba fecerit ‚nos hoc loco finem libri faciemus‘, tamen in cap. 30 explanat quae omina imperii Maximino fuerint, qua re auctorem ad alium fontem ibi transisse apertum est. Praesto igitur fuerunt Capitolino complures fontes. — Atque eidem scriptori ex priore volumine vitam Albini attribuendam esse cum Brocksio puto, quippe quae ad imperatorem Constantinum missa sit[2]) usuque fontium cum ceteris Capitolini vitis si non omni tamen aliqua ex parte congruat, siquidem etiam in hanc vitam ex compluribus fontibus materies congesta est. Neque enim adstipulor Plewio qui totam vitam e Cordi libro manasse censet[3]); immo vero ipsum Capitolinum praeter illum librum etiam Marianam vitam Severi et Herodiani historias volvisse mihi persuasum est. Nam cf. Alb. 12,14: ‚Quae qui diligentius scire velit, legat Marium Maximum de Latinis scriptoribus, de Graecis scriptoribus Herodianum, qui ad fidem pleraque dixerunt‘. Quae verba ipsissima Capitolini esse apparet ex aliis locis: Gord. 21,4: ‚quae qui velit scire‘ ipsum ‚legat‘ Cordum. Alb. 5,10: ‚quae qui‘ volet nosse Helium Cordum ‚legat‘. Maxim. 29,10: ‚reliqua qui‘ volet nosse . . . eundem (scl. Cordum) ‚legat‘. Maxim. 31,4: ‚quae qui scire‘ desiderat, is velim, ut saepe dixi, ‚legat‘ Cordum. Ex hac locorum comparatione elucet illo primo loco re vera Capitolini esse verba, non Cordi. — Praeterea praebet idem locus figuram chiasmi, quae in vitis Capitolini saepissime reperitur[4]), in vitis ceterorum scriptorum perraro. Attamen in Albini vita praeter eum locum, quem iam citavi, sexies illa figura occurrit: 1,4 ‚et

---

[1]) Cf. Brocks progr. p. 5, ubi tamen locus e vita Gordianorum falso allatus est.

[2]) Alb. 4,2.

[3]) Plew progr. p. 44.

[4]) Cf. Brocks diss. p. 5—6.

Severi laus et adprobatio Nigri Pescennii'. 6,4. 10,7 (bis). 11,6. 13,6. Hanc figuram in Alexandri vita quamvis longa, quam Brocksius didem Capitolino assignat, numquam offendimus; et miror hanc rem Brocksium prorsus fugisse, qui Capitolinum rhetoricis artibus institutum fuisse suo iure docuit.[1]) Hac occasione oblata in mentem mihi venit dictionis cuiusdam, quam Brocksius ex Capitolini vitis solis citavit, sed ex Albini vita afferre amisit. Saepenumero enim epistulis et orationibus haec verba praemissa sunt ,cuius hoc exemplum est' vel. similia, quae haud scio an ipsius Capitolini verba sint, cf. Alb. 3,3. 7,2. 10,9. 12,5. Maxim. 13,2. 15,6. 18,1. Gord. 5,3. 14,7. 24,1.[2]) Sed sive haec verba consuetudinem Capitolini sive fontis cuiusdam referunt, eis confirmatur vitas Albini et Maximorum, ut Gordianorumque mirum in modum inter se concinere, diversos esse auctores earum nullo pacto existimare possim. — At ne longius aberrem, redeo unde deflexi: Capitolinum ad vitam Albini conscribendam fontibus usum esse Cordo, Mario Maximo, Herodiano ostendi. Et quoniam Capitolinum ipsius Marii librum inspexisse ex Alb. 12,14 colligendum esse demonstravi, facere non possum quin addam si non totum caput duodecimum vitae Albini at certe maximam partem, sine dubio epistulam Severi in hoc caput insertam, ad ipsum Marium referendam esse.[3]) Capitolinus enim quamquam Alb. 4,1 familia nobili Ceioniorum ortum esse Albinum affirmat, quem etiam Herodianus nobilissimo genere natum esse dicit[4]), tamen haec verba, quae a sententia ab ipso ante prodita discrepant, in illa epistula (Alb. 12,8) inconsiderate affert: unum ex Afris et quidem Hadrumetinis ,fingentem', quod de Ceioniorum stemmate sanguinem duceret' seq. Hic habes integram Marii sententiam, qui sine partium studio narrare solebat; qua re haud dubium est quin Marianas vitas Capitolinus ipse legerit. Quae cum ita sint, non est quod miremur res in vita Albini non pariter dispositas esse atque in ceteris vitis, ubi Marius non praesto fuit. Quamquam hoc Dreinhoefero concedo maximam vitae partem ex Cordo fluxisse[5]), qui et Herodiani et Marii commentarios compilavit. Distat vero ordo rerum in vita Albini valde ab eo, quem in tribus illis vitis Helii, Pescenni, Macrini illustravimus; deest enim exordium, origo Albini bis narratur (1,3 et 4,1), inseritur ,quod eum nobilem fecit' (cap. 2—3); extremis capitibus (13,3—14,6)

---

[1]) Brocks diss. p. 11. — [2]) Praeterea nusquam illam dictionem legimus nisi Avid. 9,6 ee Aurel. 31,4.

[3]) Cf. Mueller: Buedinger's Uutersuchungen, III p. 161.

[4]) Herod. II 15,1: Ἀλβῖνος, ἀνὴρ τὸ μὲν γένος τῶν ἐκ τῆς συγκλήτου εὐπατριδῶν.

[5]) Dreinhoefer diss. p. 27.

causae ostenduntur ‚quibus amorem senatus Clodius Albinus meruerit‘. In hac igitur vita Capitolinus ea quae ad res ante imperium gestas pertinent extremo loco narrat; aliquid simile iam supra ex vita Maximini iunioris attuli, ubi omina imperii adduntur, quamquam finem libri facturum se esse auctor iam dixerat (Maxim. 29,10). — Restat Aelius Lampridius, cui non modo Diadumenum, Heliogabalum, Alexandrum Severum, sed etiam Getam assigno, cuius vita etiam ipsa temporibus Constantini conscripta est. Ut autem rationem compilandi, quam adhibere solebat Lampridius, accuratius cognoscamus, operam demus necesse est, ut quomodo sit composita vita Heliogabali perspiciamus, utpote quae utique Lampridio danda sit. Ex fontibus vero in ea vita Marius Maximus solus nominatim profertur (Heliog. 11,6), quamquam ex Graecis Latinisque se illam collegisse ipse Lampridius Heliog. 35,1 pronuntiat; quibus verbis nullam fidem habendam esse ex hac ipsa re concludi licet, quod neque ad Herodianum neque ad alium quemquam Graecorum ulla verba ex vita illa referenda esse satis constat.[1]) Qua re adducor ut cum Dreinhoefero putem Lampridium vitam Heliogabali ex uno Mario excerpsisse; quod eum non in modum Spartiani fecisse apertum est, quando quidem illam vitam quam copiosissime tractavit. Atque mihi quidem Lampridius videtur in una quaque vita eo auctore usus esse, quo nullum vidit verbosiorem; qua de causa cum ne Cordus quidem vitam Heliogabali, principis non obscuri, edidisset, ad Marium Maximum confugit eiusque vitam Heliogabali transcripsit. Quamquam non deerunt qui mihi opponant priorem tantum partem vitae eius usque ad cap. 18,3 pertinentem e Mario haustam esse, alteram deberi alteri cuidam fonti, quippe quae non quadret ad illam dispositionem, quae in aliis vitis servata sit. Hanc vero causam haud ita gravem esse sententiamque oppositam facile refelli posse ex eo apparet, quod Lampridius nequaquam id egit, quod Spartianus, ut ordinem rerum a Mario institutum tueretur; nisi forte credamus oportet Marium in vita sola Heliogabali nihil attulisse de origine imperatoris et familia, de pueritia rebusque ante imperium gestis. Exordio enim praemisso Lampridius statim in paragrapho quarta primi capitis de imperio ad Heliogabalum delato verba facit; re autem vera Marium subesse hac re confirmatur quod narratione imperii ad finem perducta ex consuetudine Marii mors imperatoris (17,1—7), opera publica (17,8—9), res post mortem (18,1—3) exhibentur. Tum sequitur (18,4—33,6) descriptio vitae ac morum, quam ipsam quoque e Marii libro sumptam esse mihi persuasum

[1]) Cf. Mueller l. l. p. 111 seq. et Dreinhoefer diss. p. 32.

est; cohaerent enim illae duae partes tam arte inter se, ut vix ex diversis fontibus eas fluxisse existimem. Ac ne quis miretur Marium tam multum fuisse in narrandis moribus Heliogabali, hoc unum moneo mores huius pestis foedissimos taeterrimosque illi auctori vitam istius componenti ob oculos versari nondum desiisse, quoniam non multo post imperium Heliogabali omne studium ad id describendum contulit. Valde enim mihi arridet sententia Muelleri, qui Marium imperante Alexandro Severo, quo tempore veritatem effari iam non periculosum fuit, extremam partem operis sui conscripsisse censet[1]). — Tam longum excursum de moribus quam in Heliogabali vita in nulla alia invenimus excepta Alexandri vita, quam eidem Lampridio dandam esse contendo; neque enim ea Spartiani esse potest, quem studio brevitatis flagrasse docui, neque Capitolini, qui longitudinem librorum multitudinemque verborum se fugisse Gord. 1,5 ipse profitetur. Ab utroque auctore vehementer distat Lampridius, qui ubertatem in dicendo et copiam consectatur, id quod maxime abundantia verborum comprobatur, quae est et in Heliogabali et in Alexandri vita. Hanc Lampridio deberi indicatur etiam ratione qua ea vita compilata est: uno velut tenore elaborata est, ex uno fonte et eo quidem verbosissimo videtur hausta esse. Ne longus sim, statim profiteor me Daendlikero, qui de ea re fusius disputavit[2]), et Dreinhoefero[3]) assentiri, qui viri docti totam fere vitam ad Acholium referendam esse exposuerunt gravissimisque argumentis confirmaverunt. Is enim ter citatur: 14,6. 48,7. 64,5, quo extremo loco Lamdripius haec exhibet: qui ut nos sequantur, historicos eius temporis legant et ‚maxime' Acholium, qui et intima[4]) huius principis scripsit. Accedit quod Vopiscus Aurel. 13,1—15,2 libris certe eiusdem Acholii utitur, quem magistrum admissionum Valeriani principis fuisse dicit; quin etiam ‚acta' libros illius inscriptos esse ex Aurel. 12,4 cognoscimus. Et quoniam ibidem nonus ‚actorum' liber citatur, ea late patuisse opinor.[5]) Hic haeret causa qua permotus Lampridius Acholii libros compilavit: cum neque Marius neque Cordus vitam Alexandri litteris mandasset, ex Acholii thesauris eam deprompsit. Paucas illas res, quae ex aliis fontibus videntur allatae esse, maximam partem ad eundem Acholium refero, velut illas quae ex Gar-

---

[1]) Mueller l. l. p. 31.
[2]) Cf. Bueding. III p. 282—298.
[3]) Dreinhoefer diss. p. 33.
[4]) Sic lego cum Lipsio.
[5]) Non ad tantam audaciam procedo quantam Daendlikerus praestitit, qui dispositionem ‚actorum' restituere conatus est, cf. Bueding. III 295, adnot. 1.

gilii Martialis[1]) libro sumptae sunt, quippe quae toti narrationi ita immixtae sint, ut ab ea disiungi nullo pacto possint. Praeterea cf. Alex. 17,1—2 et 48,7, ubi Encolpius et Septimus laudantur, de quibus non aliter iudicetur, velim quam de Gargilio. Nescio an de Dexippo, qui a Lampridio Heliog. 49,3, et de Herodiano, qui Heliog. 52,2 et 57,3 nominatim vocatur, idem statuendum sit. Neque enim dubito quin Lampridius, si Herodiani historias legisset, commemoraturus fuerit ab Herodiano Heliogabalum numquam Varium nominatum esse sed Bassianum[2]), quod nomen a Lampridio nusquam illi inditur[3]). Praeterea Herodianus illam aviam Heliogabali et Alexandri Severi Maesam nominare solebat[4]); contra Lampridius unius nominis Variae gnarum se praebet, cf. Heliog. 10,1. 12,3. 31,4. Alex. 1,2; Spartianus vero ex Cordo, qui et ex Herodiano et ex Mario Maximo aliisque res hausit, utrumque nomen citat, cf. Macr. 9,1 et 4: Maesa sive Varia. — Ut autem nunc ad quaestionem de vitis D i a d u m e n i et G e t a e instituendam aggrediar, quas Lampridio tribuo, ne eis quidem plus unum fontem subesse eumque Cordum esse puto. Nam quoniam et Diadumenus et Geta in numero obscuriorum principum ducendi sunt, quorum vitas a Cordo descriptas esse non ignoramus, utriusque vitam sine dubio is auctor litteris mandavit atque, quantum potuit, vitas Marianas compilavit. Ex quibus quia de Geta multo uberiorem materiam promi licebat quam de Diadumeno, quem Marius strictim tantum attigit uberrimamque e vita Caracalli nihil habemus quod miremur nonnumquam magnam similitudinem inter vitas illorum fratrum Getae et Caracalli intercedere. Cum Dreinhoefero autem dissentio, qui vitam Getae ex Marianis vitis Severi et Caracalli haustam esse contendit.[5]) Diversitates enim inter vitas Getae et Caracalli nequaquam deesse luculentissime exposuit Plewius, qui Getae vitam e Cordo excerptam esse suo iure explanavit[6]); docuit enim Marii narrationem de Geta multis locis corruptam traditam esse[7]). Ac tantum abest ut sententia mea comparatis locis illis simillimis Carac. 2,7—8 et Get. 6,1—2 labefactetur, ut contra confirmetur. Facio enim cum Brocksio, qui diversos esse auctores ostendit, ubicunque maiores partes narrationis paene eisdem verbis in diversas vitas ex fonte quodam translatae essent.[8])

---

[1]) Alex. 37,9. — [2]) Herod. V, 3,3 et 6.

[3]) In editione Peteri Heliog. 1,4 pro ‚Bassianus filius' legendum est ‚Bassiani filius.'

[4]) Cf. Herod. V, 3,2 et 11. V, 5,1 et 5. 7,1 et 3. 8,3.

[5]) Dreinhoefer diss. p. 30 et 32.

[6]) Plew progr. p. 28 seq. — [7]) Ibid. p. 32.

[8]) Brocks progr. p. 9.

Accedit altera causa qua Spartiano vitam Getae non deberi comprobatur; in initio enim huius vitae legimus haec: ,Scio, C. A., et multos et clementiam tuam quaestionem movere posse, cur etiam Geta Antoninus a me tradatur.' Videsne haec verba non posse attribui Spartiano, cui ,propositum fuit omnes, qui vel Caesares vel Augusti vel principes appellati sunt, quique in adoptionem venerunt vel imperatorum filii aut parentes Caesarum nomine consecrati sunt, singulis libris exponere'?[1]) Multo aptius illa verba ad Lampridium referuntur, qui etiam vitae Heliogabali haec praemittit: ,Vitam Heliogabali Antonini . . . numquam in litteras misissem . . . nisi ante Caligulas et Nerones et Vitellios hoc idem habuisset imperium'; similiter in extremo capite eiusdem vitae profitetur se invitum et retractantem vitam eam conscripsisse. Pro certo igitur affirmari posse censeo a Lampridio utramque vitam, et Getae et Diadumeni, conscriptam esse; Diadumeni enim vita consensu omnium virorum doctorum Lampridio tribuitur. Ut de rebus in utraque vita descriptis pauca addam, eadem materies tractata invenitur ordine non prorsus servato: habes in utraque vita duos excursus de nomine Antonini (Get. 1 et 2,2—5; Diad. 1—2 et 6—7), omina (Get. 3,2—9; Diad. 4—5), descriptionem personae (additis moribus Get. 4—5; Diad. 3), additamenta quaedam (res post mortem Get. 6—7; epistulas Diad. 8—9). Apparet igitur Lampridium in vitis Getae et Diadumeni eodem fonte usum esse, quem meo quidem arbitratu Cordum fuisse iam supra commemoravi.

Ut denique paucis comprehendam quae hac quaestione effecta et comprobata esse censeo, Spartianus conscripsit Diocletiani aetate vitas ab Hadriano usque ad Macrinum exceptis Avidio Albino Geta, Gallicanus eodem tempore Avidium, Capitolinus Constantini aetate Albinum, Maximinos, Gordianos, Maximum & Balbinum, Lampridius eodem tempore Getam, Diadumenum, Heliogabalum, Alexandrum Severum. Fonte usus est Spartianus Mario Maximo solo in novem vitis duobus locis exceptis; ex duobus aliis fontibus, quorum alterum Cordum fuisse veri simillimum est, compilavit vitas trium obscuriorum imperatorum Helii, Pescennii, Macrini. Gallicanus vitam Avidii ex Mariana vita Marci hausit. Capitolinus compluribus fontibus usus est, imprimis Cordo et Herodiano, praeterea Mario Maximo, Aelio Sabino, Curio Fortunatiano, Vulcacio Terentiano, Dexippo. Lampridius in una quaque vita unum secutus est fontem, in vitis Getae et Diadumeni Cordum, in vita Heliogabali Marium Maximum, in vita Alexandri Severi Acholium.

[1]) Hel. 7,5.

VITA.

Natus sum Georgius Carolus Cotta die XXIII. mens. Octobris a. h. s. LVI in vico quodam regionis Steinaviensis cui nomen est Guhren, patre Roberto, matre Ludovica e gente Gnieser, quae me puerulo decessit vita. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis Hainoviae, quo pater transmigraverat, imbutus undecimo aetatis anno Iauraviam me contuli, cuius urbis gymnasium per quinque annos frequentavi; deinde per tres fere annos discipulus fui gymnasii Lignicensis, unde a. h. s. LXXV cum testimonio maturitatis dimissus hanc almam matrem Viadrinam petii studiis philologicis operam navaturus. Inter cives academicos a v. cl. H. Schroeter receptus per octo semestria scholis usus sum virorum doctissimorum Dilthey, Elvenich, Freudenthal, Hertz, Hillebrandt, Iunkmann, Ludwich, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler, Weber, Weinhold. Seminarii regii philologici sodalis fui extraordinarius per tria, ordinarius per duo semestria. Praeterea exercitationibus interfui palaeographicis Reifferscheidii et philologicis Ludwichii. Hac urbe vere a. h. s. LXXIX relicta ut munus praeceptoris paedagogii in oppidulo Laehn instituti susciperem, per quinque semestria eo munere functus sum, quo facto huc reversus per unum annum militavi post Kalendas Octobres superioris anni omnem curam operamque in studiis liberalibus collocare rursus mihi licebat.

Memoriam autem omnium virorum optime de me meritorum, imprimis vv. ill. M. Hertz, A. Reifferscheid, A. Rossbach, A. Ludwich, semper prosequar pio gratoque animo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Spartianus Herodiani historiis nihil usus est.

II. Ei qui codicem Palatinum script. hist. Aug. continentem tertium recognovit, haud raro gravem auctoritatem attribuendam esse contra H. Peterum contendo.

III. Iul. Capitol. Maxim. 2,1 (ed. Pet.) sic cum Madvigio emendaverim: ,Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam etiam in procinctu, qui latronibus insidiaretur et suos ab incursionibus vindicaret'.

IV. Iul. Capitol. Max. & Balb. 9,3 sic mutaverim: ,manus singulis quibusque tetendit'.

V. Treb. Poll. XXX tyr. 3,7 lege: ,sed cum se gravissime gereret' (pro ,regeret').

VI. Treb. Poll. XXX tyr. 8,6 legendum esse conicio: ,cum eius socius quondam in fabrili officina fuisset'.

VII. Flav. Vopisc. Tacit. 2,4 verba ex omnibus ex margine in contextum irrepsisse arbitror.

VIII. Formis pluralibus pronominis personalis graeci vox sanscrita sama subest; qua cum radicibus pronominalibus sva et yu coniuncta formae quaedam extiterunt, a quibus pronomina graeca ἡμεῖς et ὑμεῖς originem duxerunt.